ANTIQVITATES BRVNSVICENSES,

HOC EST

ILLVSTRIVM MONVMENTORVM, SERENISSIMÆ AVGVSTISSIMÆQVE DOMVS BRVNSVIGIO LVNEBVRGICÆ

Vetuſtatem, Sanctimoniam, Potentiam, Majeſtatemque pandentium,

SYLLOGE,

Cum inſigni AVCTARIO nunc altera vice edita, à

IOACHIMO IOHANNE MADERO.

HELMESTADI,
Typis & ſumtibus HENRICI DAVIDIS MÜLLERI ACAD. TYPOGR.

Anno CIↃ IↃC LXXVIII.

SERENISSIMIS PRINCIPIBVS AC DOMINIS,

DN. GEORGIO GVILIELMO, DN. IOHANNI FRIDERICO, DN. RVDOLPHO AVGVSTO, DN. ANTON. HVLDERICO:

DVCIBVS BRVNSVICENSIVM ET LVNEBVRGENSIVM,

DOMINIS SVIS CLEMENTISSIMIS,

FELICISSIMOS IN OMNIBVS, SVCCESSVS,

EA, QVA DEBET, SVBJECTIONE,

OPTAT PRECATVRQVE

JOACHIMUS JOHANNES MADERU..

EA est AUGUSTISSIMÆ DOMUS VESTRÆ jam à tot Seculis MAJESTAS ET GLORIA, ut nunc demum splendorem Ipsi conciliaturus, LUMEN SOLI mutuari videri queat. Interim cum ante hos septendecim annos, evulgatis quibusdam illustribus monumentis, eò quam maxime facientibus, conatus sim devotissimum meum erga EANDEM animum humillime declarare: ea ipsa, & quidem cum insigni Auctario, nunc denuo edita, SERENITATIBUS VESTRIS, ceu DOMINIS MEIS INDULGENTISSIMIS, ATQUE EVERGETIS BENIGNISSIMIS, consecrare demississime debui; subjectissime rogans, ut ea serena fronte accipere, meque porro sibi commendatum habere, clementissime velint. Servet VOS, O PATRIÆ PATRES, Ille summus

post Godehardi. Hic vir Saxoniæ lumen fuit, Epitaphium ejus:

Mortales cuncti, moveat vos tumba sepulti,
Saxonis eximii, vermibus expositi.
Anno milleno quadringenteno triceno,
Et quarto Domini, post festum mox Godehardi.
Cui quondam nomen Tidericus contulit omen,
Ex Einbeck natus, Engelbus agnominatus.
Qui clarus ingenio, moribus, ore, stylo,
Divinum cultum dilexit crescere multum,
Scriptis magnificus, qui fuit, atq. pius.
Terra sed ossa tegat; animam, qui tartara fregit,
Lucis perpetuæ collocet in requiem.

IOHANNES CHRAVVS, ex quo Vitas Eorundem Imperatorum *exhibeo, non* Argentinensis Canonicus *fuit; ut in prima horum Monumentorum editione legitur excusum, sed* Presbyter Ratisponensis diœceseos: *qui* ab initio seculi, ad annum Domini 1459, secutus inter veteres, *ut ipse scribit*, Orosium, Isidorum & Methodium; inter recentiores Fr. Martinum, Romanæ Ecclesiæ Pœnitentiarium, ac Fr. Hermannum, dictum Gygas, Ord. Minorum, cum Abbreviatura M. Burchardi super Vetus Testamentum, librum, Flores Temporum appellatum, sibi soli abbreviavit. *Illum inventum aliquando MStum Hannoveræ, & jam à bibliopego ad nescio quid destinatum, ab interitu liberavi, similiter integrum, cum aliis Germanicæ rei Scriptoribus ineditis, in lucem protracturus, si vitam & valetudinem concesserit*

ferit Deus. Inde XII. Diplomata vetusta, *ex divite sua rerum patriarum thesauro, communicavit pariter C.* Hoffmannus, *cum permultis aliis, quas nunc in* Appendicem *conjecimus, ad quæ postrema item, præter quam quod eruta etiam à me quædam è* membranis *sunt, symbolam suam contulere, cum nunquam à me satis laudatus* D. Conringius, *tum Vir Consultissimus juxta ac integerrimus* Caspar Matthæus Eylenbergk, *Reverendiss. Numburgensium Capituli Syndicus optime meritus.*

Quæ post illa numeris V. VI. VII. IIX. leguntur Excerpta, inveni in libro MS. qui Monasterii Hamerslebensis olim fuerat, mihiq; ab Amico donabatur. In quibus Libellus de Institutione Hersfeldensis Ecclesiæ, *ex quo Monachus Hamerslebiensis ista collegit, vere videtur* Lamberti Schaffnaburgensis *fuisse: cum ille, vel* Trithemio *teste, conscripserit præter* Historiam Germanicam, *etiam* Chronicon cœnobii sui Hersfeldensis.

Reliqua denique, præterquam quod Genealogia Ducum Brunsvic. *ultimo loco posita, annexa erat* Chronici *alicujus* Engelhusiani *Exemplari, debeo Magnifico Viro* Iohanni Schvvartzkopfio, *ante annos non adeo multos Serenissimi Principis ac Domini, Domini AVGVSTI, gloriosissimæ memoriæ, Consiliario Intimo & Cancellario: ceu etiam indicavi in Præfatione, superiori editioni præfixa, quam propterea* Appendici *subjungere volui, divinæ tutelæ te etiam atq; etiam commendans.*

INDEX

INDEX CAPITVM, QVÆ IN PRIMA HVIVS LIBRI PARTE CONTINENTVR.

CHRO-

I.

CHRONICA
SERENISSIMORUM DVCVM BRVNSVICENSIVM,

Auctoris anonymi, ſed vetuſti;

Quique ante annos CCCC vixit.

CHRONICA SERENISSIMORUM DUCUM BRUNSVICENSIUM.

Circa principium conversionis Saxonum, LUDOLFUS, Dux *Saxoniæ*, post mortem *Karoli* annis XL, fundavit Ecclesiam *Gandersem*, & fidem, quam novellam adhuc habuit, pii operibus confirmavit. Iste genuit tres filios, ODDONEM, BRUNONEM & TANQUARDUM. Hi duo, *Bruno* & *Tanquardus*, civitatem *Brunswick*, sicut habetur in quibusdam Chronicis, fundaverunt. Unde & quædam pars ipsius civitatis, urbis scilicet, in antiquis privilegiis *Tanquerode* crebrius appellatur. De inculto *Danorum* fuit illis temporibus populo Ecclesiæ Dei plaga maxima, qui in *Francia*, & partibus occiduis, omnia crudeliter vastaverunt. Ipsis in *Theutonia Bruno* & *Tanquardus* in manu valida occurrerunt, & cum

eis

eis confligentes, & gloriosa de eis habita victoria, cum ad sua redirent, inundatione gravi imbrium perierunt. *Oddo* autem, qui de fratribus fuit superstes, Dux *Saxoniæ* extitit, regnum Romanorum, quia grandævus fuerat, recusavit. Unde *Conradus* in regem concorditer est electus. Quo cito mortuo, in regem HENRICUS I. *Oddonis* filius, de consensu Principum est promotus. Iste *Henricus*, de Vinkeler dictus, coronam raro sibi imposuit, sed regnum humiliter gubernavit. *Brandeborch* urbem, super glaciem castra ponendo, expugnavit: *Sclavos* devicit, IX annorum tributum solventes: simul & interim *Saxoniam* muniens, *Ungaros*, quibus *Saxones* tribuarii erant, ejecit, & contra insultum *Ungarorum Saxoniæ* oppida munivit. Juxta *Wagersleve* L milia *Ungarorum*, cum quatuor millibus, in prælio superantur. *Misne* montem contra Slavos construit, & urbem *Quedelingeborch*, in qua congregationes nobilium feminarum instituit; Vbi filiam suam primam esse voluit Abbatissam. Et ut esset Domina Principum, prædia largissime donavit, Ecclesiam in honore S. *Servacii* dedicari fecit, & in die dedicationis, in refectorio Dominabus XI

fercula, XI menſalia pretioſa, XI millia manſorum miniſtravit. Hic imperavit anno Domini DCCCCXX, & XVIII regnavit.

Huic erant tres filii, BRUNO Archiepiſcopus Colonienſis, OTTO primus Imperator, & HINRICUS Dux Bavariæ. Quorum mater fuit Domina *Mechtildis* de *Ringelheym*, ſoror *Reineri* & *Ymmothi*, qui fuerunt de ſemine Regis Saxonum *Widekindi*. *Widekindus* Rex Saxonum à S. *Bonifacio* baptiſatus, de ſacro fonte à *Karolo* eſt levatus. Qui genuit *Wichbertum*, Wichbertus *Walterum*. Qui ob devotionem *Romam* vadens, à *Leone* Papa obtinuit corpus integrum S. *Alexandri*, filii S. *Felicitatis*, quod *Wildeshuſen* collocavit. *Otto* fundavit Epiſcopatum *Magdeburgenſem*. Iſte in die Paſchæ homicidam, qui ipſo die homicidium perpetraverat, & in ipſum irruerat, à reatu abſolvit, & ne aliquis ei moleſtus eſſet, ſtrictius imperavit. Iſte primam uxorem habuit *Edith*, reginam de *Anglia*, de qua genuit *Ludolfum* ducem Suevorum. *Edith* obit anno DCCCCXLVII. VII. Kal. Febr. Secundam uxorem habuit *Adelheydem*, de qua genuit *Ottonem* Rufum, Imperatorem II.

OT-

OTTO II. vel RVFVS de *Theophania*, filia Regis Constantinopolitani, genuit OTTONEM III, Imperatorem. HINRICVS frater *Ottonis* I. genuit *Henricum* Ducem *Bavariæ*, qui *Ottoni* III. successit in regno. *Ottone* III. defuncto, Principes ad electionem Regis in *Polede* convenerunt: Et tunc tractabatur de *Ekehardo*, *Ekehardi* Marchionis Orientalis filio, qui erat dives & præpotens, & Marchio Orientalis. *Sifridus* & *Benno*, filii Comitis *Sifridi* de *Bummenborch*, cum Comite *Thiderico* de *Katelingheberch*, ipsum *Ekehardum* ibidem in *Polede* occiderunt. Qui ad fundum hæreditatis suæ delatus, super fluvium *Salam* in oppido *Jene* primitus est sepultus. Postmodum in Ecclesia cathedrali *Nuenborch* terræ solemnius commendatur.

DE HINRICO II.

Post hæc in *Hinricum* Ducem Bavariæ, ut esset Rex hujus nominis secundus, Principes assenserunt. Hic erat filius *Hinrici* Ducis Bavariæ, cujus etiam pater Hinricus, Dux Bavariæ fuit, frater *Ottonis* primi. Unde ejusdem nominis, quot ab

uno fratre *Ottone* Reges fuerunt, ab alio *Hinrico* unius nominis, Duces Bavariæ fucceſſerunt. Iſte *Hinricus* ſancte & juſte regnum rexit; Epiſcopatum *Bavemberch* fundavit, ubi *Swickerum*, Canonicum *Halberſtadenſem*, Epiſcopatui præfecit; qui poſtea in Papam eſt aſſumtus, & *Clemens II.* appellatus.

DE PAPA CLEMENTE II.

Iſte *Swickerus* erat de quibusdam nobilibus in Saxonia, quorum fuit proprietas *Morsleve* & *Hornborch*: quam *Thidericus*, Nobilis de eodem genere, filium non habens, Halberſtadenſi Eccleſiæ dedit, indignatione motus contra ſororem ſuam, Dominam *Clementiam*, cui eadem proprietas debuerat ſucceſſiſſe. Iſte *Ungaros*, inſultum facientes in Theutoniam, ſuperavit; *Stephano* Ungarorum Regi cum gente ſua ad fidem converſo, ſororem ſuam matrimonio copulavit; *Cunegundim* uxorem ſuam virginem dereliquit. His temporibus in *Brunſwick* princeps fuit *Bruno*, qui *Comes* dictus eſt, quod eſſe potuit, quia ducatus, quem prædeceſſores ſui tenuerunt, maribus deficientibus,

Otto-

ab Ottone I. *Hermanno*, *Bilingi* filio, eſt donatus. *Brunonis* uxor fuit Domina *Ghisla* de *Werle*, quæ eidem genuit *Ludolfum*. *Ghisla* autem, prius habens *Lippoldum*, *Erneſti* Ducis filium, genuit *Hermannum*, Ducem Sueviæ. Poſt *Brunonem* autem nupſit *Conrado II.* Regi, qni *Henrico* de *Bavenberch* ſucceſſit in regno, cui genuit *Hinricum III.* regem, qui manſuetè regnavit.

DE HINRICO III.

Hic Eccleſiam B. *Matthiæ* in *Goslaria* prædiis, & multis Sanctorum reliquiis, honoravit. Hic apud *Hartonen* in *Bothvelde* objit. & filium *Hinricum* IV ſucceſſorem Imperii dereliquit.

DE QUARTO HINRICO.

Iſte multis prœliis *Saxones* vexavit, urbem *Hartesborch*, & monaſterium conſtruxit in ea, quam *Saxones* deſtruxerunt. Victorioſus in bello fuit. Qui & Ducem *Saxoniæ* de *Luneborch*, *Magnum* nomine i& *Albertum*, Marchionem de *Ballenſtede*, cepit, & anno integro detinuit captivatos.

Tan-

Tandem Papa contra ipſum ferente ſententiam, de regno deponitur, & in *Leodio* moriens, filium *Hinricum V.* ſucceſſorem regni, qui eidem patri cum *Saxonibus* adverſatus fuerat, dereliquit.

DE HINRICO V.

Iſte *Hinricus V.* in eos, qui eum Regem creaverant, arma convertit, & cum de magna adjutorum multitudine confideret, *Saxoniam* hoſtiliter intravit. Cui Dominus *Reinhardus*, Halberſtadenſis Epiſcopus, *Luderus* Dux Saxoniæ, Comes *Hermannus* de *Arnesborch*, in *Welpesholte* cum militia occurrentes in bello, de Rege victoriam ſunt adepti, anno Domini MCXV. Qui poſtea moriens in Spira MCXXV., nullum reliquit de ſuo genere ſucceſſorem. Hæc de Regibus, ad Duces *Brunſwik* pertinentibus, ſufficiant enarrata.

Porro *LUDOLFUS* genuit EKBERTUM & BRUNONEM. Hi in *Mersborch* Principibus ab Imperatore vocatis, venerunt prope *Nendorp* ad flumen, quod *Salica* dicitur. Ubi ipſis *Otto* & *Wilhelmus* fratres, Principes *Thuringiæ*, hoſtes eorum, occurrunt, & bello commiſſo, *Brunonem* occiderunt,

runt, *Ekbertum* graviter vulnerantes: è contra altero duorum fratrum, Principum Thuringiæ, interfecto, scilicet *Wilhelmo*. Nam *Otto* superstes, *Adelheydem Alberti* de *Ballenstede* generavit. Qui *Otto*, ut fratris bona ab Archiepiscopo Moguntino obtineret, subditos suos ad aliqualem decimarum solutionem inducere satagebat, quoniam nullas decimas dabant, sed ad coquinam Regis in quingentorum porcorum tributo annuo, à Rege *Thiderico* ipsis imposito, tenebantur. Istud tributum remissum est *Thuringis* à *Hinrico* Rege de Bavenberch, ad preces & obsequia venerabilis Domini *Olrici* de *Wimar*, Principis Thuringorum.

DE CLODOVEO REGE.

Nec prætereundum, quod *Clodoveus* Rex Francorum, quem S. *Remigius* baptizavit, non tantum *Galliam*, sed totam *Germaniam* obtinuit violenter, quam & à Romanorum tribunis & tributis liberam esse fecit. Quo mortuo, regnum ejus inter quinque suos filios est divisum: ita quod filio ejus *Thiderico* hujus habitationis regio est relicta. Qui *Thidericus Thu-*

ringos cum *Saxonibus* impugnans, eos subegit, & *Thuringos* ultra *Hartonem* locans, *Thuringorum* terram *Saxonibus* assignavit. Causa vero bellorum supradicti Regis *Thiderici* cum *Thuringis* fuit, quod *Thidericus* Rex Saxonum, Thuringorum Regem *Erenfridum* sibi esse subditum exigebat. *Erenfridus* consilio uxoris suæ usus, quæ soror erat Regis *Thiderici* ex patre, mandavit, *quod à sorore sua nobili ipse spurius deberet potius subjugari.* Respondit Thidericus: *multis capitibus meorum oportet me redimere libertatem.* Unde cum magno Francorum exercitu & Saxonum, super fluvium *Unstrotæ*, vallum in *Scidinge* obsedit, in quo erat congregatum totum robur exercitus Thuringorum. *Saxones* autem, qui erant quasi novem milia, pro strènuitate & pugnandi audacia præmissi sunt in acie certamine. Sed *Thuringis* fortiter oppugnantibus, bellum est ingravatum, adeo quod hinc & inde vulneratis & occisis plurimis, *Saxonum* VI milia interierunt. Fiunt treugæ, saucii alligantur, mortui tumulantur. Et ecce quidam de *Thuringis*, nisum ferens, illum avolare misit, quem *Saxo* quidam, ex altera parte fluminis al-

lectum,

lectum, cepit. *Thuringo* avem repetente, & *Saxone* negante, spondet *Thuringus*, si *Saxo* avem reddiderit, se secretum proditurum *Saxoni*, & toti populo suo profuturum. Avis remittitur, & secretum his verbis familiarius aperitur: *Dominus noster, cum sit Regis nostri & filiorum suorum affinis* & *consanguineus, ad faciendam pacem flexus, de vestra constantia pertimescit, ut si inimicos viceritis, arma in ipsum & in suos socios convertatis. Ambobus igitur Regibus cum exercitu suo contra vos insurgentibus, mane experiemini, quod treuga facta in periculum vobis cedent.* His auditis, *Saxones* recedere disposuerunt: sed de consilio cujusdam senis & nobilis, ne crimen imponeretur gloriæ suæ, die illa treugæ servata, mane hostes hostiliter invadunt, & de hominibus, pecoribus, & de omnibus inventis, occidunt, spoliant & incendunt. Quo facto ad Regem suum redeunt, suo honori & virtuti congaudentes. Propter quod salarium à Rege promissum, terram recipiunt *Thuringorum*. Anno Domini DXXXIV. VII. Kal. Octobris facta est à Saxonibus occisio Thuringorum. Hæc ergo dies victoriæ, læta & celebris apud Saxo-

nes communiter habita, *communio* dicebatur. Unde *communes* dicuntur dies, qui in *Octobri* servantur, ut observantia superstitiosa Saxonum, qui tunc pagani erant, modo ipsis Christum colentibus, ad religionem transeat pietatis.

EKBERTUS, *Brunonis* defuncti frater, qui *Marchio* dicebatur, genuit *Ekbertum* & *Gertrudim*. Quæ defuncto patre, & fratre à fautoribus Imperii interfecto, hæreditatem in *Brunswick* obtinuit. Cui fidelis erat inter alios ministeriales *Widekindus* de *VVulferbutle*, avus *Eberti*, patris *Guncelini*, patris *Burchardi*, de Asseborch, adeo ut pro eo obses esset *Hinrico* IV. Imperatori. Cujus *Widekindi* fidelitatem & constantiam Imperator ipse comperiens, castrum *Schartvelde*, decimam montis *Goslariæ*, officium imperiale in *Polede*, cujus proventus erant M. D. libræ, ei jure contulit phеodali: quæ tamen cito vacabant imperio, cum *Widekindus* tantum filias genuisset. *Gertrudis* nupsit Comiti *Hinrico*, qui *Pinguis* dicebatur, qui fuit filius *Ottonis* de *Northeym*, Ducis quondam *Saxoniæ*, & erat de progenie *Sifridi*, Comitis

nitis de *Berneborch*: cujus filii, ut supra di-
tum est, *Ekkehardum* Marchionem in *Polede*
occiderunt. *Gertrudis* de *Hinrico* genuit *Riky-
am*, quæ tradita est *Ludero*, qui fuit filius Co-
nitis *Ghevehardi* de *Supelinghebor ch*, & erat po-
ens & industrius, ad quem devoluta est hære-
litas de *Haldesleve*, morienribus *Bernhardo*, qui
rimo conventum Canonicorum in *Luttere*
undaverunt, qui postea, anno Domini MCXXXV
er *Luderum* & *Rikizam* uxorem ejus in mona-
hos S. *Benedicti* regulæ est mutatus. Cessit et-
am eidem Ludero, ex uxore sua *Rikiza*, *Bruns-
vigk* hæreditas dignitatis, qui etiam Duce Sa-
oniæ *Magno* mortuo, à Rege *Henrico* Duca-
um *Saxoniæ* pro sua industria est adeptus: *Hen-
ico* vero Imperatore defuncto, de Principum as-
ensu in imperium est assumtus, cujus gesta ma-
nificata sunt descripta. *Gertrudem* filiam su-
m ex *Rikiza*, *Henrico* Duci Bavariæ dedit, cui &
Ducatum *Saxoniæ* contulit tunc vacantem. *Lu-
derus*, qui & *Lotharius*, in *Longobardia* objit, sed
n Saxonia *Luttere* tumulatus, ubi post sepulti
unt *Rikysa* Imperatrix, anno MCXXXIX. III.
Cal. Novembr. Iste Dux matrem habuit *Wil-*

 phildem,

phildem, filiam Ducis *Magni*, unde & *Catulus* sive Welp dicebatur. Patrem vero *Hinricum*, Ducem Bavvariæ, qui *Niger* vocabatur. Igitur *Hinricus Niger* ex *Wilphilde* genuit *Hinricum Catulum*, generum Regis *Luderii*. *Hinricus Catulus*, de *Ghertrude* filia Regis unica, genuit *Hinricum Leonem*, qui ex patre duos Ducatus *Bawariæ* & *Saxoniæ* obtinuit, ex matre proprietatem in *Brunswigh* possedit.

DE ETHICONE.

Temporibus *Karoli* erat quidam *Ethico*, Princeps magnus, qui pro generis sui excellentia nulli hominum pro pheodo humiliare se volebat: cujus filiam *Lodewicus* Rex, filius *Karoli*, duxit in uxorem. Hæc persuasit *Hinrico*, *Ethiconis* filio, fratri suo, ut vasallus fieret mariti sui *Lodewici*. Quo renuente, tandem de hoc facto à Rege conventus est. Cui & à Rege promissum est, quod præter alia beneficia tantum de prædiis suis in proprietatem ei daret, quantum in die æstatis longissima cum curru aureo circuiret. Quo promisso illectus, de auro curricu-

iculum fabricans, & eum in sinu reponens, ocios & equos veloces sibi adhibuit, & in die estiva montem qui † *Mersborch* dicitur, circuivit. Deinde ad Regem rediit, & Rex ei montem cum Ducatu *Bavariæ* dereliquit. *Ethico*, de facto filii indignatus, in solitudine vitam agens privatam, moritur, nec ulli esse subdit⁹ dignabatur: unde *cum urru aureo* dicebatur. De hujus stirpe per aliquas personas interpositas, Duces *Hinricus Niger*, & *Hinricus Catulus* descenderunt: cujus etiam soror uit *Jutta*, primi mater *Frederici*. De eadem quoque stirpe fuit in *Constantia* quidam Episcopus, nomine *Cunradus*, qui pro sanctitatis suæ merito est canonisatus. Quo cum quoque venisset Dux *Hinricus Leo*, pro affectu naturali, & devotione, Ecclesiam Constantiensem, ob S. *Conradi* reverentiam, donis & prædiis magnifice honoravit. *Hinricus Leo* uxorem duxit suo generi convenientem, filiam Ducis de *Thuringe*, dominam *Clementiam*, de qua genuit filiam, quam accepit potens quidam & nobilis de *Slavorum* Principibus in uxorem. Quod matrimonium, licet postea judicio Ecclesiæ fuerit solutum, tamen fuit legitimum,

† Mersbarch. Vetus Chron. Sax.

timum, quia bona fide utriusque conjugum celebratum. Unde idem *Hinricus Leo* postea duxit Dominam *Mechtildem*, filiam *Henrici*, Regis *Angliæ* senioris, de qua genuit IV. filios, Dominum *Ottonem* Imperatorem, *Henricum* Palatinum Reni, *Wilhelmum* Ducem, & *Luderum* qui in pueritia est defunctus. Et nota quod *Hinricus* senior Rex *Angliæ* IV. filios habuit: *Henricum*, *Richardum*, *Johannem* & *Gaufredum*; & IV. filias, quarum una data est uxor Regi *Castellæ*, de qua nata est Domina *Blancha* regina *Franciæ*, nunc regnantis. Secunda data est *Alexio* Imperatori Constantinopolitano. Tertia *Mechtildis* data est *Henrico* Duci Saxoniæ, & quarta Comiti *Tolosano*. *Johannes* Henrici filius, duxit filiam, & genuit *Henricum* Regem Angliæ, & *Richardum* electum Regem Alemanniæ. *Hinricus*, filius Johannis, duxit filiam Comitis Provinciæ, & genuit Dominum *Eadwardum* Regem Angliæ, qui nunc regnat. Anno Domini MCLXXXIII. objit *Hinricus* junior ante patrem. MCLXXXVI. objit *Godefridus*. MCLXXXIX. objit *Henricus* Rex Angliæ senior, cui successit filius ejus *Richardus*. *Richardus* objit MCXCIX & successit ei frater ejus

Johannes,

Johannes, qui objit MCCXVI, & succeſſit ei filius ejus *Hinricus*. Qui objit MCCLXX, & ſucceſſit ei Dominus *Eatwardus*.

Mortuo *Hinrico* VI. Imperatore, & fratre ejus *Philippo* à Palatino de *Wetelingesbach* interfecto, anno Domini MCCX, Dominus *Otto* IV. in imperium eſt aſſumtus. Hic duxit uxorem *Beatricem*, Regis *Philippi* filiam, quæ objit anno Domini MCCXIII. III. Id Auguſti. Poſtea duxit *Mariam*, ſororem Ducum *Brabantiæ*; de quarum nulla habuit ſucceſſorem. In craſtino Mariæ Magdalenæ, contra *Philippum* Regem Franciæ conflixit, MCCXIV. Tribus annis in pace bona regnavit, ut pacis filius, ut Rex pacificus poſſet merito appellari. Fuit enim corpore robuſtus, animo quietus, pro debito auctoritatis juſtitiam diligens, & pro affectu pietatis miſeris condeſcendens. Quem virga correctionis in ipſum ſententiam Eccleſiaſticam promulgari permittendo, Dominus corripuit. A quo tamen miſericordiam non abſtulit. Nam bellis provocatus & incurſionibus, incendia & cædes hominum horruit. Maxime autem cor ejus tetigit & anxit, quod feudi ratione ino-

 bediens

bediens diceretur. Unde & orare solebat, quod eum Dominus misericorditer absolveret, & de Rege utiliori provideret. Factum est autem, ut electionis suæ moreretur anno in *Hartesborch*, in contritione & devotione, sicut secundum hominem putatur judicium, & à viris fide dignis, & suis confessoribus enarratur. Anno Domini MCCXVIII. XIV. Kal. Junii, fuit sepultus in urbe *Brunswik*, cum uxore *Beatrice*, & patre Hinrico *Leone*, & matre *Mechtilde*, in Ecclesia S. *Blasii* ante chorum. Post obitum ejus, cuidam sanctimoniali S. *Borchardi* apud *Halberstadium*, pro ipso oranti, idem *Otto* apparuit, & certo signo exposuit, quod de peccatis ereptus esset: & in misericordias Domini misericorditer introiisset.

Henricus denique, frater *Ottonis*, primo duxit uxorem de *Reno*, cum qua obtinuit *Palatii principatum*, de qua dua filias genuit, scilicet † *Herinck* Ducissam Bavariæ, & *Marchiomissam* de *Baden*: Qui eidem in hæreditate *Brunswik* succedentes, eam imperio vendiderunt. Mulieres autem quædam Saxoniæ patribus in hæreditate totaliter non succedunt, propter opprobrium juris quod *Suavey* dicitur, quod incurrunt

† *Gertrut* Ludovici Bavari. & *Eilekam*, Erici Badensis conjugem. *Chron. Sax. Vet.*

runt ex eo, quod dum *Saxones* XII annis ad expugnandam *Angliam* defuissent, *Suavey* Saxoniam intraverunt, & quorundam uxoribus sunt abusi. Saxonibus post XII. annos redeuntibus, quædam mulieres ad *Saxones* viros pristinos redierunt. Aliæ *Suevis* adulteris adhæserunt. Unde statuerunt, quod mulieres ad viros pristinos non redeuntes, tam in se, quam in filiabus suis, secundum jus, quod *Suavey* dicitur, exhæredarentur. Aliam quoque Dominus *Hinricus* duxit uxorem Agnetem, filiam Marchionis de *Lauslesberch*. Quæ cum hæredes non haberet, Domino suo moriente, MCCXVII. IX. Kal. Maji, sancte & pie vivendo cœnobium Sanctimonialium Ordinis S. *Benedicti* instituit in *Winbusen*, ubi etiam in pace moriens requiescit. *Hinricus* vero Palatinus, in Ecclesia S. *Blasii* in *Brunsvik*, cum suis patribus est sepultus.

Dux autem *Wilhelmus*, frater dictorum Principum, qui ducatum *Luneborch* possedit, uxorem duxit MCCII. *Helenam*, sororem Regis *Slavorum*, Domini *Woldemari*, avi *Erici*, regis *Daciæ*, nunc regnantis: & genuit *Ottonem* de Luneborch. Obiit MCCXIII. Pridie Idus Decemb.

 Otto

Otto Dux de *Luneborch*, partem proprietatis patrui sui *Henrici* Palatini, quam filiæ suæ vendiderant, suæ portioni totaliter unitam, jure pheodali recepit à *Frederico* II Imperatore: in curia *Maguntiæ* celebrata. Hic in bello *Bornehove* contra *Albertum* Ducem Saxoniæ, & *Henricum* Comitem de *Swerin*, congreditur, in vigilia III. feria S. Mariæ Magdalenæ, cum Comite *Alberto* de *Orlemunde*, cumque aliis pluribus fuit captus. Unde pro sua liberatione castra *Hidsackere* & *Lovenborch* & *Theram* cis *Albiam* dereliquit. Hic duxit uxorem, suæ nobilitati congruentem, *Mechtildem* Marchionis *Alberti* filiam de *Brandesborch*, & genuit *Ottonem*, *Albertum*, *Johannem*, *Conradum*. Filias quoque *Mechtildem*, *Helenam*, *Aleydem*, *Helenam*, *Agneten*. Obiit autem *Otto* Dux MCCLII. Ducissa vero *Mechtildis* uxor ejus MCCLXI, & in *Luneborch* sunt sepulti.

Otto genuit *Albertum* & *Johannem*. *Albertus* MCCLXIII. V Kal. Novembr. à *Thiderico* Marchione Misnensi, cum multis suis militibus, fuit captus. Castrum *Asseborch* obtinuit M.CCLXII. *Albertus* duxit uxorem *Elisabeth* Ducis *Brabantiæ*,

quæ

quæ ſine liberis obiit MCCLXI. Poſtea duxit *Adelheydem* filiam Marchionis *Montis ferati*, & genuit *Hinricum*, *Albertum Wilhelmum*, *Conradum*, *Ottonem*, *Luderum* & *Mechtildem*. Obiit *Albertus* MCCLXXIX in die aſſumtionis B. Virginis, *Brunſwik* in Eccleſia S. Blaſii eſt ſepultus. *Johannes* duxit uxorem filiam *Gherhardi*, Comitis de *Schowenborch*, qui cum fratre ſuo terram dividens, *Luneborch*, obtinuit principatum, & genuit *Ottonem*. Obiit MCCLXXVII. XVII. Kal. Jan.

Item *Otto* ſenior, ex *Mechtilde* genuit *Conradum*, Epiſcopum Verdenſem; *Ottonem* Epiſcopum Hildenſemenſem, qui jura Eccleſiæ ſuæ bene dicitur defendiſſe: & obiit anno Domini MCCLXXIX. *Mechtildem*, quam duxit *Hinricus* Pinguis, Comes de *Anehalt*, & genuit *Ottonem* Comitem, & facta eſt propter ſui diſcretionem poſtea Abbatiſſa in * *Gheroude*, *Helenam*, quam primo duxit *Hermannus*, Dominus *Haſſiæ*, filius B. *Eliſabeth*. Hanc poſtea duxit *Albertus* Dux Saxoniæ, & genuit *Johannem* & *Albertum*. Obiit MCCLXX *Aleydem*, quam duxit *Hinricus* filius B, *Eliſabeth* Landgravius *Haſſiæ*. *Elyſabeth*, quam duxit *Wil*-

* Gherode.

helmus de Hollandria Rex, & genuit *Florentium* Comitem Hollandriæ: & *Agnetem*, quam duxit *Wißlaus* Dominus Rugyiæ, & genuit filios & filias.

Sex filiorum Ducis *Alberti* primus *Hinricus*, duxit uxorem filiam *Alberti* Landgravii Thuringiæ. Secundus *Albertus* duxit filiam *Hinrici* Domini de *Werle*. Tres ultimi, *Conradus*, *Otto* & *Luderus*, Cruciferorum ſe Ordini manciparunt. *Mechtildis* nupſit Duci *Glogoviæ* MCCXII. in menſe Martio. Sit Deus ſuper omnia benedictus.

Anno Domini MCCLXXXVIII., in die *Bonifacii* martyris *Hinricus* & *Anneko* de *Henborch*, *Hildemarus* Advocatus *Irkesleve*, de *Salderen* miles, cum XII. ſociis in *Helmeſtede* à communi vulgo miſerabiliter occiduntur. Eodem die inter Dominum *Sifridum* de *Runkil*, Archiepiſcopum Colonienſem & Ducem *Brabantiæ* & eorum complices, inter *Coloniam* & *Nußiam*, prælium fit crudele, in quo duo fratres de *Lucelenborch* cum aliis pluribus occiduntur. Archiepiſcopus *Colonienſis* capitur, & plus quam anno ab illis *de Monte* in vinculis detinetur.

IM.

II.

MPERATORVM EX CELSISSIMA SERENISSIMORUM DUCUM BRUNSWICENSIVM DOMO ORIVNDORVM, VITÆ,

AVCTORE

THEODORICO ENGELHVSIO, PRESBYTERO MONASTERII IN WITTENBORCH.

IMPERATORES
EX CELSISSIMÂ DVCVM BRVNSVICENSIVM DOMO ORIVNDI, AVCTORE
THEODORICO ENGELHVSIO.

LODEWICVS III. filius *Arnolfi* dictus *Infans*, ultimus Karolorum, imperavit in Almania annos III; *Veronæ* captus cœcatur & occiditur à Berengario. Quo mortuo, videntes Teutonici quod Italici regnare cepissent, scientesque quod dignitas Imperii esset eis assignata in persona Karoli I. elegerunt Ducem Francorum nomine *Cunradum*. De quo sunt versus:

Iste puer pietate valens tribus imperat annis;
Vltimus est iste Karolorum germine sanguis,
Attamen à latere germina Karlus habet.

Hic enim duxit uxorem *Mechildam* sororem *Ottonis* primi Ducis Saxonum, filiam *Ludolfi* de stirpe Magni *Wedekindi.* Iste autem *Ludolfus* Dux Saxonum Ro nam causa devotionis profectus, reliquias SS. præsulum Anastasii & Innocentii, impetratas à Papa Sergio III. detulit in Saxoniam; in quorum honorem primo cœnobium Sanctimonialium in *Brunteshusen*, postea vero quarto anno construxit in *Gandersem*, hæreditate sua illic attributa, & filia sua *Hadamoda* Abbatissa Dominarum secularium constituta, ecclesiam illam dotavit XI millibus mansis, juxta numerum XI millium SS. virginum. Iste *Ludolfus* genuit dictam *Mechildam* quam duxit uxorem ultimus *Ludewicus* prædictus. Idem *Ludolfus* genuit tres filios, quo-

quorum unus nomine *Bruno* pugnaturus contra Danos, inundatione repentina periit sine prole; à quo *Brunswick* civitás nomen habet, quæ tamen ab alio fratre *Tanewordo* scribitur in multis antiquis literis *Tancwerde voërde*. Tertius autem filius Ludolfi erat *Otto* primus, non Imperator, sed Dux Saxoniæ, quem *Ludowico* Imperatore mortuo omnis populus Francorum & Saxonum quærebat assumere in Cæsarem: sed ipse, quia jam ætate gravior, recusavit imperium. Ejus tamen consilio electus est *Conradus* primus infra sequens. (De isto *Ludolfo* & suis scribit T. E. poësi Ducum B. sic:

Tancquardus, Bruno, fratres animo simul uno,
Isti fundabant Brunswick & situabant,
Ludolf Ecbertum genuit virtute refertum.
Ecclesiam sancto construxerat hic Cyriaco.
Post hac Asseborch, idem construxit Olesborch.

Unde Henricus Rosla:

Nomen Brunonis, qui fundator fuit urbis,
Contra Danos bellum movit, non alite dextro.
Cujus & Ottonis fratris, qui primus ad arcem
Eligitur regni, licet illud spreverit ipse.
Cujus erat natus Henricus Saxonicus rex.)

CONRADUS I. Dux Francorum, regnavit in Almania annos VII. *Ottone* cedente imperio & decedente mundo. Cui filius *Hinricus* natus est, mundo miratus; cui pater moriens totius Saxoniæ ducatum reliquit. Versus:

Semine Karlorum jam deficiente virorum,
Surgit Conradus, lateris cognatus eorum.
Conrado primo natus non extitit hæres.

Iste consilio *Hattonis* misit exercitum validum contra prædictum *Henricum* Ducem Saxoniæ, ubi Saxones tanta cæde bacchati sunt in Hattonem, & exercitum Regis, ut à mimis

declamaretur: *Ubinam esset tantus infernus, qui tantam cæsorum multitudinem capere posset.* Ungari vastaverunt Franciam Occidentalem, anno DCCCCXI, & anno VI, post hoc vastaverunt Turingiam & Franciam Orientalem.

[*Hic rex Conradus fortis fuit ut leopardus.*
Hortesborch iste construxerat, & tibi Christe
Ecclesiamq; pio postea Valerio. T. E.

Fundavit autem Ecclesiam istam Canonicorum secularium in castro *Hartesborch* anno imperii sui quinto, in honorem S. Valerij; quod monasterium transtulit *Henricus III.* Imperator postea in *Goslar*, ubi fundavit Ecclesiam, quam per beatissimum Papam Leonem, cooperantibus sibi Episcopis, rex fecit consecrari in honorem B. Virginis, & SS. Simonis & Judæ; ut ut scribitur in *Chronico Goslariensi.*]

HENRICUS primus filius *Ottonis*, Ducis Saxonum, imperat annis XVIII. Hic inventus in aucupio, dum assumeretur ad imperium, dictus est AUCEPS. Noluit coronari dicens: *Satis est mihi, ut præ majoribus meis rex dicar, penes nobiliores sint unctio & diadema. Tanto honore nos arbitramur indignos.* Iste sermo placuit omnibus. Ipse duxit filiam regis *Tyderici* de genere Magni *Wedekindi* uxorem, nomine *Mechildam*, quæ religiosissima multa bona fecit. Fundavit cœnobia Sanctimonialium in *Northusen*, quod tamen jam mutatum est in Canonicos seculares. Item monasterium ordinis Præmonastratensium in *Poelde*, quod sic dicitur, quia in palude fundabatur. Henricus iste in factis armorum strenuissimus, totius religionis amator, operibus misericordissimus, inter cætera bona fundavit in Almania ultra XX. Ecclesias, quas & abundanter dotavit, pro dominabus secularibus, quæ *Canonicæ* nominantur, utentes habitu *Canonicorum regularium Ordinis S. Augustini*, nullam tamen profitentes religionem, nu-

bunt:

bunt in Domino, quando volunt. Inventæ sunt autem pro sustentatione nobilium, pro fide Christi ab infidelibus occisorum, ne talium filiæ cogerentur mendicare, sed in illis monasteriis sustentatæ, cum ad statum nubilem provenissent, vitam eligerent quam vellent. Possent enim ibidem profiteri & perpetue manere; vel recedendo maritari. Quibus inter cætera voluit *Quedelinburch, prudentum virginum* intitulatum, sicut & avus ejus *Gandersem*, fore *principale*. Ungaros tunc iterum Alsatiam, Franciam, Saxoniamq; vastantes humiliavit: Tunc enim Romani Principes tributis suberant Ungarorum. Ipse autem Principum consilio congregato quæsivit, quid opus esset in hoc facto? Cumque singulariter diceretur: non esse tutum, tributum non præstare: ipse solus contradixit, dicens: *Injustum esse Christianos canibus subesse.* Tandem omnes principes consentientes, fideles se ei promittebant, sic quod legatis Ungarorum canem brevem & spissum, auribus & cauda decurtatum præsentans, Ungarorum Regi transmisit, dicens: *aliud se à Christianis non habituros tributum.* Quibus perceptis Ungari commoti, Christianos in duobus locis exeuntes invadunt: pars eorum una per terram Bavariæ & Franconiæ venit in Thuringiam, usque in castrum, inde nominatum Wichberg prope *Northusen*: alii vero per *Pruciam* Saxoniam introibant L millibus armatis. Quibus Imperator occurrit cum XII. millibus; quorum tamen, hostibus perceptis, vix quatuor millia secum manserunt. Imperator autem dixit: *Memineritis fratres, quod non in multitudine populi, sed de supernis est victoria. State viriliter pro cultu divino, pro uxoribus & filiis vestris: & quia Deus in causa, ipse erit merces operis.* Promisit etiam pro adipiscenda victoria, se simoniam à regno penitus, eradicaturum. Sic ergo suis confortatis, Deo disponente, nebula mane divinitus immissa est tanta, ut ini-

 micos

micos accederet invisus, quos incautos perterruit atque attrivit, & persequens fugientes, quasi pene delevit, sicque jugum cessavit Ungarorum. Idem Henricus *Augustam* magnam, dictam *Basileam*, ab Ungaris destructam, reædificavit. & Ecclesiam cathedralem muneribus cumulavit. Regem etiam Danorum, nominatum *Worm*, quia crudelis erat, adeo perterruit, ut pacem supplex peteret, & impetraret. *Bohemos* & *Sclavos* ita prælio percussit, ut cæteri, qui perpauci remanserant, regi tributum, & Christo fidem, ultro promitterent. Idem impetravit à *Rudolfo* rege Burgundorum lanceam Domini, per quam de hostibus sæpe triumphavit, eamque cum aliis reliquiis & clenodiis Imperialibus *Ottoni* filio suo reliquit, ut postea in Imperatorum tutela permanerent. Ipse *Mersborg* civitatem muro cinxit, & *Misenam* civitatem, quam à rivo ibi surgente sic nominavit. Construxit & *Goslariam* & *Quedelingborch* cum aliis. [Unde legitur in *Chronico Amelungsbornensi*: Locum illum, qui nunc *Goslar* dicitur, *Henricus* Imperator adire frequenter venandi gratia consueverat. Nam nemorosus erat, & ursorum, cervorum, capreorumque venatu insignis. Erat vero in isto loco homo quidam pauper, nomine Gundelkarl / parvum habens tugurium, in quo rex post venationem venire solebat. Cui idem spe majoris mercedis focum parare, cibos coquere, ipsosque mensæ regis, à venatu venientis, consuevit inferre. Quod cum crebrius fecisset, atque suam substantiolam expendisset, regem ut servitii sui memor esset, admonuit. Cui tandem Rex optionem à se petendi dedit, quod vellet. Ille optione sibi data nihil aliud petiit, quam ut mons sibi contiguus, qui Rameberg nunc dicitur, sibi daretur. Rex, ut erat liberalissimus, concessit, dicens: *se velle, quod utiliora sibi petiisset.* Nec mora, homo iste non ignorans, quantum utilitatis mons haberet, *Franconiam* adiit,

adiit, erat enim *Franco*, & plures gentis suæ viros socios secum sumens, locum ædificare cœpit: venas metallorum, cupri, plumbi & argenti reperit, ditatus ultra modnm; sicque plures accurrentes civitatem ædificant, Sic locum illum alienigenæ fundantes, Saxoniæ cesserunt; unde adhuc montem eundem quondam Franckenberg nominaverunt. Unde Poëta T. *Emb.*

Longa silvæ scrutator, cervorum concomitator
Ramme fuit dictus, rammorum pertulit ictus.
Est mox tantillo Rammesberg *dictus ab illo.*
Uxor hujus Goza: nunc est ex hac aqua Goza.]

Henrico Imperatori *Karolus* rex Francorum manum misit *S. Dionysii*, cum aliis reliquiis preciosis, auro gemmisque inclusis, dicens: *Hoc habeto pignus federis perpetui, & amoris vicarii partem hanc scilicet unici solatii Francorum. Postquam enim nos S. Vitus ad nostram perniciem deseruit, & ad vestram perpetuam pacem Saxoniam visitavit; à nobis nec civilia, nec externa cessaverunt bella.* Iste Henricus cum anno vitæ suæ LX. regni vero XIX. causa devotionis *Romam* pergeret, gentibus circumquaque perdomitis, plenus dierum feliciter obdormivit iu Domino in *Remele*: cujus corpus à suis translatum est Quedelenborg/ in Basilicam S. Petri quam fundavit, cum lacrymis plurimorum. Dereliquit autem filios, quorum unus dictus est *Bruno*, postea factus Episcopus Coloniensis: Secundus *Otto Magnus*, de quo infra: tertius *Henricus Probus*. Et filias: quarum unam fecit Abbatissam in Quedelinborg; aliam, dictam Gerborch/ tradidit in uxorem *Gyselberto* Duci Galliæ; quo mortuo eadem nupsit *Lodewico* regi Franciæ. Versus:

Henricus Dux Saxonicus regnare vocatur,
Noluit imperium sumere rite datum.
Invenere Ducem veterano more sedentem,
Aucupis officio sua retia perficientem.

Ut modicas caperet insidianter aves.
Et quia simpliciter fuit his præsentibus auceps,
A modo perpetuo cognomine dicitur Auceps.
Cum tamen egregium mundus haberet eum.
Cogitur in regem tandem reverenter inungi,
Nulla tamen capiti missa corona fuit.
Ex hoc Henrico rex primus nascitur Otto,
Cujus & egregia nunc gesta referre perопто.

OTTO I. dictus *Magnus*, pius & amor mundi, filius *Henrici I.* imperat annis XXXVII. fuit octuagesimus quartus ab Augusto, coronatus ab Archiepiscopo Moguntino *Hildeberto*, qui decessit anno sequenti, & ei successit *Fridericus*, filius Sororis Ottonis. Otto iste justissimus fuit, ideo bipennis ejus cotidie pependit coram eo, in signum ulciscendi vindictam malorum: cujus jurare fuit, *Per barbam Ottonis*. Iste in principio regni sui gravissimos habuit adversarios. Inimicabatur enim ei frater suus carnalis *Henricus Probus*, Dux Bavariæ, filius suus *Ludolfus* Dux Sueviæ, & *Arnoldus* Dux Noricorum, cujus sororem idem Henricus habuit uxorem; *Giselberius* Dux Lotharingiæ, qui sororem habuit Ottonis, quæ postea nupsit *Lodewico* Regi Francorum: De quo venerunt *Fridericus* Archiepiscopus Maguntinus & *Lotharius* Rex Francorum. Hos omnes passus intestinos adversarios, tandem superavit, sicut David inimicos suos. (Alia soror Ottonis nomine *Hadwich*, nupsit *Hugoni* Comiti Parisiorum, quorum filius fuit *Hugo*, qui postea regnavit in *Francia*) Adversitates autem istæ creduntur ex hoc evenisse, quod matrem suam *Mechildem* ad quorundam instinctum dotalitiis privavit: quam postmodum reconciliatam honestissime tractabat. Occasio autem discordiæ ex hoc videbatur fore justa. *Giselbertus* prædictus, & *Everhardus* Comes Pallatii, suaserunt *Henrico* fratri Ottonis

Ottonis imperium appetere, quia potius sibi in regno nato competeret, quam *Ottoni* ante regnum nato. Ideoque juxta *Rhenum* milites Ottonis graviter offendebantur, Imperatore ab alia parte Rheni coram lancea Domini in oratione prostrato; sicque victi terga verterunt. *Otto* duxit filiam *Ethmundi* regis Angliæ, nomine *Edith*, quæ fundavit *Parthenopolin*, teutonice Meydeborg/ Augusto tunc in Italia perseverante. Qua feliciter in Meydeborg sepulta, duxit *Alhoydam*, relictam *Rodolfi*, Ducis Burgundiæ, quæ sepulta est in Zelse/ Diœcesis Argentinensis: ubi dictus Otto duo venerabilia monasteria, unum monachorum, aliud monialium, de novo fundavit, & suo more opulenter dotavit. Ista *Alheid* fuit relicta Lotharii Imperatoris, captivata à *Berengario* quarto, qui totam Romam & Italiam occupaverat. Quem *Otto* debellavit, & illam de carcere liberatam duxit uxorem, cujus de primo viro filius fuit *Ernestus*, qui leonem adduxit: de qua genuit *Wilhelmum* & *Ottonem* secundum, ducens secum dictum Berengarium, cum filio suo Berengario, & multis captivis *Babenbergam*, ubi exilio perierunt. In via tunc cepit *Papiam* & *Mediolanum*; quæ rege recedente monetam ejus respuerunt; Quare rex regressus coëgit Mediolanenses de corio incidere nummos, quos ab eis accipi mandavit, constituens per Italiam denarios, qui ab eo usque hodie *Ottoloni* vocantur. Tunc quædam mulier conquesta est Ottoni, quod quidam eam oppressisset violenter, instanter petens vindictam. Cui rex dixit: *Dum reversus fuero, faciam justitiam.* Et ait mulier: *Domine, forsan tunc non eris memor hujus injuriæ:* Respondit rex, digito demonstrata Ecclesia propinqua: *Ecce*, inquit, *ecclesia sit mihi & tibi in signum memoriæ.* Reversus ergo de Italia videns Ecclesiam istam, fecit vocari mulierem, quæ dixit: *Domine, vir ille jam est meus legitimus, & peperi de eo.* Et ait rex in vulgari suo: By Otten Bardey/

Barde / he moit Barden schmecken: & fecit eum decollari. *Cosmodrom.* Otto item reperit venas auri & argenti *Goslariæ*, unde duas Ecclesias collegiatas & nobile palatium imperiale fundavit ibidem. In immensum vero per talem aurifodinam ditatus, tam *Romæ*, quam alibi Ecclesias cum Cœnobiis construxit. Ipse *Parthenopolim*, Archidiaconatum Halverstadensem, fecit Archiepiscopatum, præficiens ei *Adelbertum*, & subjiciens eidem Episcopatus *Citzensem*, *Misnensem*, *Mersborgensem*, *Brandeborgensem* & *Havelbergensem*, cum terra Sclavorum. Ipse Ducem *Boleslaum* Bohemiæ, qui fratrem occiderat S. *Wenceslaum*, captivavit, & *Bohemiam* subjugavit: quibus reconciliatus, Episcopatum *Pragensem* fundavit. *Vngaros* Augustam obsidentes ad requisitionem S. *Odolrici* Episcopi *Otto* adveniens ita humiliavit, ut vix septem de multis millibus dicantur evasisse. Eo tempore *Lotharius* rex Francorum à suis captus incarceratur. Quod audiens *Otto* cum XXVII. legionibus ad eum liberandum Franciam aggreditur Occidentalem. Sed fama percepta metu Cæsaris statim relaxatur. Ipse castrum *Brisack* circa *Basileam* obsedit, in quo *Everhardus* supra dictus habitans, rapinis & incendiis terram vastabat. Erat tunc cum Ottone *Fredericus* Archiepiscopus Maguntinus, quem Otto fidelem reputavit; Ipse vero contra magnates induxit, Ottonem deserere inter adversarios. Sicque multis recedentibus, Otto cum paucis confisus in Domino, castrum cepit, *Everhardum* occidit, & *Giselbertum* Ducem Galliæ, cum multis similiter aversis, interfecit. Demum Maguntiam veniens, illam obsedit, Fredericum cepit, & in monasterio Fuldensi monachari mandavit, *Wilhelmum* filium suum in Archiepiscopatu Maguntino præficiendo. Similiter *Rothardum*, Episcopum Argentinensem, sibi suspectum deposuit, & ad Monasterium Corbejense detrusit. Ipse autem fratrem suum fecit Archiepiscopum Colo-

Coloniensem *Brunonem*, cui non est similis repertus in devotione & bono regimine Ecclesiæ Coloniensis. Qui & plurima venerabilia loca in partibus illis fundavit & dotavit. Ipse dedit filio suo *Ottoni* filiam Imperatoris Græcorum *Theophaniam* uxorem; sicque tribus illa affinitate Græcis est conjuncta. Filiam autem suam, nomine *Ricke*, dedit uxorem nobili *Rodolfo* de Bavaria, fratri patris *Conradi* Sancti, Episcopi Constantiensis. De eadem Ricken venerunt *Welfones*. Idem Otto construxit Schleswick / & Ottensund nominavit. Uxor ejus supra dicta *Edith* multum misericors, pauperibus dum multa cotidie tribueret, quodam tempore à rege prohibita, per eundem tentabatur. Nam ipse pauperis in specie, cum cæteris pauperibus expectabat *Edith* venientem, quam & manica apprehendens petiit sui misereri. Cumque diceret, *se nec audere, nec aliquid habere:* ille subjunxit, *se adventitium nunc primum ab ea petentem in tanto festo vacuum relinqui nec debere nec decere.* illa dicente, *se prater vestes in promtu nihil habere:* ille respondit, *vestis particula se bene posse juvari.* Illa miserta, manicam, quam manu tenuit, abrumpere permisit, quam pauper putatus abscondit, & illa veste truncata processit. Ad mensam igitur veniens alia veste induta, audivit à rege: *Cur in festo non indueretur pretiosiori?* & tandem tristis, sed in domino confisa, truncatam induit & integra videbatur. Quo viso rex partem abruptam ostendens coram omnibus, factumq; suum enarrans, licentiam plene concessit, quæcunque vellet, erogandi. H. Idem *Otto* pius quodam festo Paschæ, dum puer quidam nobilis more puerili ferculum quoddam de mensa projiceret, & ob hoc à Dapifero percuteretur, pædagogus pueri Dapiferum occidit. Otto surrexit commotus occisorem puniturus, sed & fortior, Ottonem projectum barba pilisque nudavit. Accurrentibus igitur aliis, dixit Otto, *plus ego, quam*

 ille,

ille, peccavi; qui honorem festo non detuli. Ideo non ipse me vicit, sed Deus sibi me tradidit. Sicque absolvit eundem. Is igitur pius Otto, vitæ termino propinquante, vidit in somnis sibi feminam mirabilem astare, quam quæsivit *quæ esset, & ad quod venisset.* Respondit: *Effluxio ventris mihi nomen, & veni ventrem tuum ad tempus inhabitare, postmodum in visceribus septem principum recondenda.* Prædicto ergo modo res exitum habuit: nam primum in ipso rege, deinde in cæteris uno post alium dysenteria vitæ lumen extinxit, sicque anno regni sui XXXVIII. Magdeborg sepelitur. T. E.

Otto post Otto, regnavit Tertius Otto.
Sed primus Magnus dictus, qui vixit ut agnus.
Quas bene perduxit pius ecclesias cito struxit:
Magdeburgensem fundavit & Suerinensem.
Mira Dei gessit, Magdeborch & requiescit,
Ing. foriparte, quæ circumfunditur arte,
Sub turri sculpta stat imago sua bene fulta.
Filius ipsius, rex fuit Otto pius.

OTTO Secundus, dictus *Ruffus* & *Sanguinarius*, ac *pallida mors Sarracenorum*, propter interfectionem paganorum, imperavit annos x. Cum filia *Theophania* Imperatoris Græcorum acquisivit imperio regna *Croatiæ, Calabriam, Siciliam & Apuliam.* Ipse bellum transferens in *Calabriam*, à Sarracenis sæpe victus, victor sæpius, tot eorum interfecit, ut, mirabile dictu, mare proprium mutasse diceretur colorem. Ipse tandem solus miraculose evadens pervenit ad suos. Ipse *Lotarium* regem Francorum Lotringiam vastantem cum inæstimabili exercitu prosecutus, condicto die, scilicet Kalendis Octobris, Franciam Occidentalem intravit, quam usque Kalendas Decembres pervagatus, fines Remensium, Laudunensium, Suessionensium & Parisiensium diversa cæde vastavit, Ecclesiis tamen

men omni immunitate concessa. Ipse *Bonventum* expugnans, S. Apostolum *Bartholomæum* Romam duxit, proponens cum secum ducere in Saxoniam. Sed infirmitate præventus, mansit uterque Romæ. Unde legitur apud S. Bartholomæum: *In nomine sanctæ atq; individuæ Trinitatis, Fredericus divina favente clementia Romanorum Imperator. Nos pro inquirenda veritate annales prædecessorum nostrorum, catholicorum Imperatorum revolvimus, & in ipsorum sexto libro invenimus, qualiter Imperator Otto II. venerandum corpus sanctissimi Apostoli Bartholomæi, à Bonvento Romam detulit, & in insula Lycaonia in tumba porphyretica gloriosissime collocavit.* Idem Otto, pacem suam, quam mundo statuerat, violantes, interfecit in urbe, unde *Pantheon:*

Otto secundus adest Romæ diademate functus,
Lætus Apostolicis manibus discedit inunctus,
Is dedit Italicis undiq; pace frui.
Rex ubi discessit, gens Itala bella capessit,
Terra perit, gens pressa gemit, nimis atq; gravatur.
Rex venit iratus, concurrit ab urbe senatus.
Suscipit imperii regia Roma caput.
Imperii vocat Otto Duces Comitesq; potentes,
Pontifices simul Ecclesia recipit venientes,
Et queritur populos pace carere suos.
Judicis officio numerat, quos culpa notavit,
Pœnaq; præcipitur Ducibus condigna parari,
Ultio terribilis dira flagella parit.
Ante gradus Romæ mensas jubet Otto parari
Multaq; circuitu jubet & tunc scamna locari,
Et loca principibus undiq; more dari.
Dum cibus adducitur, dum potus & esca paratur,
Dum proceres comedunt, dum lætior hora putatur,
Otto per armatos cinxit utrinq; latus;

 Præco

Praeco jubet taceant, & ne quis ab hinc moveatur.
Qui loquitur, qui se moveat, gladio feriatur,
Turba timet procerum, terror ubiq; datur.
Crimina scripta Ducum, quae jusserat ante notari,
Ante suas mensas jubet Otto sic recitari,
Damnat & obtentos crimine lege pari;
Qui meruit, damnatur ibi poena capitali,
Sanguine nobilium jam mensa potest maculari.
Otto sibi capita, quae vult, quasi fercula dari.
Humani capitis dum mensa cruore madescit.
Non minus ante datis rex jubet undiq; vesci,
Mittit & ingratis, fercula cocta satis
Taliter alludit sceleri sic corpora fudit.
Sic scelus excludit, sic pacis commoda cudit.
Sic sua pax viguit, sic reus acta luit.

Iste idem Otto moriens testamentum suum condidit, thesaurum suum in quatuor partes distribuens, unam partem dedit Ecclesiis, alteram pauperibus, tertiam militibus & ministris, & quartam sorori suae *Mechildae*, Abbatissae in *Quedelinborg*: sicque obiens in Domino, in orientali porticu Basilicae S. Petri Romae sepelitur. anno 982. (Gentes circa *Albiam* prope indomitae, noviter nunc ad fidem conversae, iterum relapsae, multa mala fecerunt: opidum *Havelberg* ceperunt, sedemque Episcopalem ibi destruxerunt. Brandenburgensem Episcopatum invasere, ipsumque Ecclesiae pastorem fugere compulerunt; clerum autem omnem ceperunt, aliaque multa horrenda fecerunt. Eodem tempore *Citensis* Episcopatus à *Bohemis* destruitur. Tunc & *Sclavi* urbem, quae *Calve* dicitur, delevere, sanctarumque monialium congregationem ibidem fugam inire compulere. Urbem *Hammaburg*, ubi tunc sedes Episcopalis erat, iidem incenderunt, & vastaverunt. A.)

OTTO

OTTO tertius, dictus *mirabilia mundi*, puer XVIII annorum, cœpit imperare cum matre annis XVIII. Cujus provisor erat *Wilhelmus* Maguntinus Archiepiscopus, patruus ejus, qui de tributo *Lumbardiæ* fecit ei crucem DC. librarum auri purissimi, hunc titulum habentem: *Auri sexcentas habet hæc crux aurea libras.* Ipse duxit uxorem, filiam regis *Arragonum*, quæ quendam nobilem Comitem, stuprum ejus recusantem accusavit Ottoni, qui nimis credulus occidit eundem; de quo *Pantheon:*

Est juxta Mutinam, comitis domus, Amula dicta,
Imperii tunc obsequiis jussisq; relicta,
Qua vacat hospitiis crebrius Otto suis.
Corpore glorificum Comitem, vultuq; decorum,
Dum regina videt, stimulis urgetur amorum,
Et cupit hunc regis clam violare thorum.
In vitium regina virum dum flectere credit,
Veste trahit Comitem, tractus sine veste recedit,
Spreta dolens mulier vota nefanda dedit.
Protinus accito queritur regina marito,
Suggerit ut Comitis caput amputet ense petito,
Crimine mentito credidit Otto cito.
Jam dolus astruitur cito mors indigna paratur,
Nec locus insonti pandere vera datur.
Indicat uxori propria comes acta pudoris,
Dicens malle mori, quam regis obesse pudori:
Se mihi prostituit femina, digna mori.
Tu mihi post mortem conscia testis eris:
Judicio candentis eos ferri superabis.
Judicii causas dum præcipit Otto parari,
Imperat & viduas celebri præcone vocari
Hisq; piis studiis jura cupita dari.

 Astitit

Astitit occisum plorans Comitissa maritum,
Dicit ei, dic pœna reis quo jure paratur,
Si rupta quandoq; fide vir fraude necatur?
Retulit Otto, caput perdere jure datur.
Intulit hæc; tua te Cæsar sententia damnat,
Fraude meum jugulasse virum te, Cæsar ô, pandam,
Si vis jura coli, te decet inde mori.
Hac tacuit, rex obstupuit, dicens mulieri:
Nescio quid quaris, nec vera tulisse videris;
Hujus enim sceleris quis tibi testis erit.
Ecce caput Comitis, dixit Comitissa, paratum,
Fraude tua periit, proprium cognosce reatum,
Suscipe judicium te perhibente datum.
Rex ait; iste comes meruit pro crimine mortem;
Illa negat, cupiens ignitam sumere sortem.
Rex parat ignita; femina vincit ita.
Dum laqueo juris se conspicit Otto ligari,
Mira viri bonitas ratione potest superari,
Femineis nutibus se finit ipse dari
Dum regem Comitissa tenet, dat regis honestas,
Vt capitis sit plena sibi Collata potestas.
Cogitat illa modum quo regem perdere possit,
Inducias modicas populus pro tempore poscit.
Femina victa prece distulit illa necem.
Nec tamen illa dedit, nisi rex promitteret illi
Quod prius ignitis pereat regina favillis.
Pro tribus induciis tribuit tria castra monarchus,
Nec fuit in reliquis concedere plurima parcus.

Et ista castra juxta inducias, primo decem, postea septem, & tertio octo dierum, adhuc vocantur ibidem, scribit *Pantheon.* Eo tempore S. *Adelbertus* Episcopus Pragensis primus obiit, occi-

occisus à Prutenis. Ad cujus honorem dictus Otto disposuit septem Episcopia in *Sclavia*, & S. *Gaudentium*, fratrem S. Adalberti, fecit Episcopum Pragensem. Idem Otto dum *Aquisgrani* admirationis causa ossa S. Karoli Magn. videret, audivit ab eodem in visu noctis, quod immatura morte vitam finiret sine prole: quod sic contigit. Nam *Romæ* degens, cum jura regni & Ecclesiæ reformare cogitaret: Romani subito contra eum conspirantes, aliquos de suis occiderunt, unde rex recessit. Cui tunc *Crescentii* relicta misit chirotecas & annulum, quasi memoriale amoris. Cæsar autem nesciens illam esse veneficam, quamprimum illis attractis morte præventus est. Ipse enim dictum *Crescentium* fecit suspendi in Castro S. Angeli, & filium ejus *Placentium*, qui dictus est *Johannes XVII.* Papa contra *Gregorium* intrusus, oculis privavit, & omnes fautores ejus interfecit, *Gregorium* honorifice restituendo. Ob hoc dicta mulier, quasi sub amoris specie Cæsarem veneficat: cujus corpus *Augustæ*, reliquum vero intestinorum *Aquisgrani*, juxta S. Karolum sepelitur, ex cujus linea mater ejus originem duxit, ut scribit Magister *Tidericus* de *Nyem* in Chronica sua. *Hatto* Maguntinus Episcopus obiit, cui succedit *Wikegisus*.

HENRICUS II. filius *Henrici* Ducis Bavariæ, & nepos *Ottonis* primi, fuit enim filius fratris carnalis Ottonis. Hic igitur Henricus dux Noricorum & Bavariæ, vocatus *Pius* & *Claudus*, imperavit annos XXII. menses II. Dum enim in Ecclesia Ratisbonensi devotius oraret, audivit vocem dicentem sibi: *Post sex.* Quod ipse interpretatus post sex dies, deinde post sex septimanas, inde sex menses, & demum sex annos se moriturum. Deo providente post sex annos electus est in Augustum. Cujus uxor, Diabolo procurante, de adulterio accusata per XV. vomeres ignitos se purgavit. Hæc est sancta

Kunegun-

Kunegundis. Ipse autem *Gislam* sororem suam dedit uxorem Ungarorum regi, per quam cum toto regno conversus ad Christum, vocatus est in baptismate *Stephanus*, qui & convertit terram Polonorum, & est *Praga* sepultus: de quorum etiam genealogia multi nobiles devenerunt, quos Ungari pro sanctis venerantur, De quibus etiam venit S. *Elisabeth & Margareta* & cæteri. Maximum enim incrementum recepit fides Christi de domo dictorum Ottonum, ut scribit idem T. N. quorum etiam tempore fides in tantum crevit, ut nec angulus esse in Sclavia, qui non urbibus & monasteriis abundaret. H. Iste Henricus vir magnæ devotionis, habuit consilium in *Tremonia*, anno regni sui quarto, ubi fuerunt præsentes Magdeburgensis, Coloniensis & Bremensis, Archiepiscopi; Monasteriensis, Osnabruggensis, Padebornensis, Metensis, Wormatiensis, Leodiensis, Trajectensis, Verdensis, Hildensemensis & Merseburgensis, Episcopi, cum aliis multis nobilibus: in quo consilio ordinatum fuit, inter cætera, quod post obitum cujuslibet principis seu Episcopi; quilibet Episcopus superstes, ibidem ex iis per xxx dies qualibet die missam pro defunctis diceret, vel per se vel per alium, & CCC. pasceret pauperes, & totidem denarios pauperibus aliis erogaret, totidemque lumina accenderet: Rex autem & regina pauperes: pascerent MD. & totidem denarios pauperibus aliis erogarent. Alii vero inferiores similiter facerent secundum suas facultates. Sequenti anno fuit statutum etiam in consilio, ut corpus Dominicum ad sinistram, calix ad dextram sacerdotis, poneretur in missa. Cum igitur istud in consilio sit statutum, non licet sacerdotibus singularibus immutare. Idem Henricus dum in extremis ageret, dedit Ecclesiæ Mersborgensi calicem xx. libras auri ponderantem, cumque natalem Domini Babenbergæ, Pascha Parthenopoli, Penteco-

sten

ſten vero Goslariæ celebraſſet, venit in caſtrum ſuum *Grenz.* ubi languore correptus III. Idus Julii, anno vitæ ſuæ LII deceſſit in Chriſto, Bambergę translatus, ſepultus in Eccleſia S. Petri, quam de novo fundavit, anno Domini MXII. anno regni ſui, ut alii ſcribunt, decimo. De eodem legitur, quod dum in extremis ageret, ſolitarius quidam audivit turbam, & quærens, qui eſſent, audivit, *quod legio dæmonum, ad tollendam animam Imperatoris feſtinantes.* Et ille dæmonem adjuravit, ut ad ſe rediret, quid de anima fieret relaturus. Dæmon rediit dicens: *Dum bona opera Cæſaris & peccata ſua ponderanda ponebantur in ſtatera, venit aduſtus Laurentius, imponens calicem, qui præponderavit omnibus peccatis ſuis, & ſic anima ejus defraudati ſumus: Quod dum ego vidi, commotus abſtuli de calice auriculam unam.* Et compertum eſt Imperatorem illo die deceſſiſſe, & auriculam calicis deeſſe; qui inter cætera ornamenta, quæ idem Imperator Eccleſiæ Mersburgenſi contulit, usque in præſens oſtenditur. *Coſmodr.* Bambergenſe Epiſcopium cœpit, cui Eberhardus præficitur ab Henrico, & Hungaria convertitur. Sclavi iterum à fide averſi, Chriſtianis magnam ſtragem intulerunt. Nam tanti martyrizati ſunt in Saxonia, ut vix poſſent libro comprehendi: inter quos fuerunt, *Johannes* Epiſcopus Magnipolenſis, *Oppo* Presbyter ſuper altari immolatus, & *Godeſcalcus* in urbe Leontio, Teutonice Lenzin. H. Imperator igitur Henricus curiam celebrans in Werben juxta Albiam, illos convertit ad pacem. *Egbertus* Marchio Saxoniæ, fundator Eccleſiæ *S. Cyriaci* in *Brunſwick*, obiit. De Henrico vero præmiſſo T. E.

Hic eſt Henricus, qui Chriſti rexit amicus
Vixerat hic munde, cum conjuge Kunigunde,
Hi fuerant tanti, quod facti poſtea ſancti.
Marsburg fundabant, Bavenberg & ſituabant.

 Baven-

Bavenberg sancti restant ambo tumulati.
Qui vixit mundus Conradus, eratq; secundus
Nominis illius, rex fuit ipse pius.
Exstruxit Goslariæ pius Ecclesiamq; Mariæ.

CONRADUS secundus, *Salicus* & *Spirensis*, quia Spiram valde dilexit, imperavit annis xv. prius dictus est *Cuno de Webelingen* in Suevia *de genere Ottonum*, condidit multas leges, & fecit præcipuam pacem in Almania, sub edicto, ut quicunque infringeret, capite plecteretur. Cujus statuti transgressos accusatur Comes *Lippoldus*, qui fugiens à facie regis, heremitorium sibi construens in vasta solitudine, vixit ibidem cum uxore. Contigit igitur Cæsarem in venatu ibidem nocte permanere, qua & Lippoldi conjux peperit. Et audivit Cæsar vocem dicentem: *Accipe, Accipe.* Et rex tremefactus audivit secundario: *Redde, redde, redde.* Et tertia vice; *Fuge, fuge, fuge* Et adjunctum erat: *Conrade, hic puer erit gener tuus.* Recedens ergo Cæsar, mandavit puerum occidi, & cor sibi præsentari. Videntes autem puerum elegantem, qui missi fuerunt, misericordia moti, dimiserunt vivum, cor leporis pro corde pueri præsentantes. Inde casu *Henricus* Dux Saxonum iter agens, puerum pulchrum reperiens, in filium adoptavit, *Henricum* à se nominando. Crevit puer, prudens & pulcher, & petitur à Cæsare Conrado. Cui cum summe serviret, & omnibus placeret, cœpit rex cogitare de priori visione, timens illum esse filium Eremitæ. Cum ergo esset in Italia, scripsit literas reginæ per eundem, ut statim occideretur. Contigit autem juvenem in via apud quendam presbyterum hospitari: qui sciens eum ab Imperatore venisse, curiosius nova diligens, literam regis aperuit, & nefas quidem invenit horrens, diligentius radendo, ubi scriptum erat: *Juvenis occidatur.* rescripsit: *Filia mea tradatur.* Regina hoc legens,

gens, & juvenem elegantem videns, de suorum consilio, juxta regis scriptum tradidit ei filiam in uxorem. Quod rex Conradus percipiens, ait: *Contra Domini voluntatem non possumus.* Matrimonium ergo approbans, generum suum successorem Imperii declaravit, cum prole careret. In eodem loco eremi, construxit idem Henricus monasterium Herze nominatum, Dominarum secularium in diœcesi Padeburnensi. Idem Conradus fratrem habuit *Henricum* Ducem Sueviæ, qui sibi diu rebellans, tandem venit ad *Stefanum* regem Ungariæ. Qui, dum factum audiret, jussit ei die parasceves carnes apponi. Et nefas horrenti, dixit. *Sævire in fratrem, & hodie tibi carnes assumere, æque licitum est.* Sic leviter castigatus remeans gratiam fratris impetravit. Idem Conradus liberavit terram Lusitiorum à Sclavis, quorum rex *Misacho* innumerabilem multitudinem virorum ac mulierum trucidavit in Saxonia Orientali. Nunc autem coronam cum regalibus Imperatori transmisit, ac se subditum fore promisit. Quem rex clementius, quam existimaverat, Mersborg suscepit, eique cum ejus patruele dimisit. Werben enim castellum obtinuit, multis ibi Christianis occisis, quos Imperator nunc subjugavit. Eclipsis solis facta est hora sexta, & tonitrus tantus, quod LX. viros de exercitu regis, cum equorum armentorumque magna multitudine peremit, rege Conrado existente, in campo Mediolanensi: & sequenti die similiter eadem hora multos prostravit. Tunc *Bruno* Episcopus, familiaris Imperatoris, missam ibi celebrans, vidit S. Ambrosium Imperatori minantem, nisi civitati parceret. Sicque parcens ab Italia recessit, Spiræ sepultus. *Versus:*

Duxerat ex villa, quam rite vocant Guebelinga
Inclyta nobilitas regnum generatur ab illa.
Magna ducis gesta fuerant, sed major honestas.

Conradus pro pace duces deponit honore,
Et pacis sancita facit constare favore.
Unus erat Comitum pacem violasse notatus,
Cui domus in latebris nemorum clam parva paratur.
Ille locus nemorum, quo tunc fuit ille creatus.
Nobilis ecclesia nobis Hertzanga vocatur
Magna Creatori nunc ibi pompa datur.

Circa hoc tempus obiit *Bernhardus* Dux Saxonum, relinquens duos filios, *Henricum* & *Ordolfum*, qui duxit filiam regis Danorum, de qua genuit *Magnum.*

HENRICUS III. dictus *pius* & *niger cum barba*, imperat annos XVII. fuit filius *Lippoldi* Comitis prædicti, & gener *Conradi* Imperatoris: cujus & dictus est filius, saltem adoptivus. Unde T.E.

Conradi natus, Henricus nempe beatus,
Rexit non frustra tribus annis & tria lustra.
Hic in honore Dei sic Simonis atq; Tadei,
Quam cito perduxit pius ecclesiam sibi struxit.
Hinc rex, ô Christe, placeat tibi tertius iste.
Summum Pontificem Cæsar perduxerat idem
Pontifices multos & ob hoc ætatis adultos
Goslere cantarent, & ut aram sanctificarent,
Hanc ita dilexit, dum Cæsar & omnia rexit,
Parti Spirensi sic parti Goslariensi
Terris humatus jacet Ecclesiis tumulatus.

Uxor ejus castissima *Agnes*, filia *Wilhelmi* Pictaviensis Ducis, Is Cæsar Henricus ita se exterius agebat ad populum, ut sui non oblivisceretur interius. Considerans enim tanti nominis majestatem longe suis præcellere meritis, nunquam signa regalia sibi præsumsit imponere, nisi confessionis ac pœnitentiæ, verberum etiam satisfactione, licentiam à Sacerdote sup-

pliciter

plicitur mereretur. Quadam igitur festivitate supplex ac pœnitens cœpit adire antistitem Coloniensis Ecclesiæ *Annonem* nomine. Mox sacer antistes, sicut parcere solitus erat inopi & pauperi, sic misericors absque misericordia sævire cœpit in principem, vehementissimis illum invadens correptionibus, illumque durissimis verberum plagis afflictum, non aliter illum ea die coronatum incedere concessit, quam prius manibus suis XXXIII. libras argenti in pauperes expendisset. Nec abnuit Imperator, sed cuncta passus est & fecit. Sicque demum more suo processit indutus. Miranda sane constantia præsulis, nec minus laudanda humilitas principis. Porro in utroque timoris Dei imitanda perfectio. Imperator iste synodum habuit Goslariæ, ubi *Petrus* rex Ungarorum cum aliis præsens erat: & sequenti anno in natali Domini Treveris consilium celebravit. Fuit quoque hoc tempore in Ecclesia Dei, de quo legitur Dist. XXIII. *In nomine Domini.* Dum Eremita quidam confessor regis scripsit ei eleganter in hæc verba: *Imperator Henrice, omnipotentis vice. Una Sunamitis, nupsit tribus maritis. Dissolve connubium, triforme dubium.* Rex itaque, sicut erat homo discretus, collecto exercitu Constantiam venit, ubi synodo principum pacem hactenus inauditam statuit, & per edictum, sicut Conradus inceperat, confirmavit. Ibi histrionum collegium, quod, ut assolet, affluxerat, vacuum abire permisit, pauperibus ea, quæ membris diaboli subtraxerat, largiendo. Meretricum etiam ad II. millia fugari jussit ab exercitu. Cæsar tunc cordetenus dolore compunctus multis malis, quæ tunc facta sunt Christianis, tam cæde, quam discordia & fame diversarum provinciarum; ab omnibus, quibus potuit, veniam petiit, cunctis quoque, qui contra eum, vel regnum commiserant, relaxavit. H. Inde pergens ad Italiam uno Paparum occurrente in Lumbardia, altero in *Bardenberge*,

berge, tertio in Tuſcia, quemvis eorum ſtatim ut advenit, debita veneratus humilitate, pariter in urbem ductos, & ſynodaliter degradatos, in exilium relegavit; quorum nomina fuerunt: *Silveſter* tertius, *Damaſus* tertius, prius dictus *Poppa*, Epiſcopus Brixienſis, & *Gregorius* ſextus, prius *Gratianus*, qui ſedit annos III. Tribus vero iſtis degradatis ſubſtitutus eſt Epiſcopus Bambergenſis *Clemens* ſecundus, prius dictus *Swedegherus*, à quo coronatus eſt Hinricus cum uxore. Iſte Clemens, vix ſedens duobus annis ſepultus eſt Bambergæ. Idem Henricus tempore quo ſchiſma ſedavit, compulit Romanos jurare, *quod ſine conſenſu Imperatoris nullus aſſumatur in Papam*, eo quod tantum ſchiſma fecerunt. Idem dum feſtum Pentecoſtes Maguntiæ celebraret, ortum eſt jurgium in Eccleſia infra miſſam inter cubicularios Archiepiſcopi Maguntini, & Abbatis Fuldenſis, quis eorum dominus propior ſederet Imperatori, cum Abbas ex antiquo privilegio haberet ad dextram ejus reſidere. Ventum eſt igitur ad pugnam & pavimentum inundatur ſanguine. Et ſtatim pace ſtatuta templum purgatur & miſſa reinchoatur. Sequentia tunc cantata, vox ab aëre lapſa eſt: *Hunc diem bellicoſum ego feci*; ſic ait diabolus. Imperator autem ait; *tu omnis malitiæ inventor & incentor, diem bellicoſum & luctuoſum feciſti, at nos per Dei gratiam, qui ipſum glorioſum fecit, pauperibus reddemus gratioſum.* Sic miſſa ſolemniter finita, dapes omnes, quæ Cæſari & curialibus parabantur, egenis per præcones conclamatis, diſtribuebantur. *Vincent. in ſpec.* Idem Imperator ſubegit Vindelicos populos, Suevis contiguos, eoſque fecit tributarios; ita ut diebus ſuæ coronationis quatuor reges eorum lebetem, quo carnes condiebantur, in humeris ſuis vectibus inductis ad coquinam vectitarent. *Ibid.* Idem Henricus ſcolarem quendam ſatis induſtrium, ſed fuſcum, nomine *Hildebrandum*, fecit filio ſuo præda-

Pædagogum. Iste dum puer erat, filius carpentarii, hastulas ludendo composuit, in hæc verba: *Dominabor à mari usq. ad mare.* Quod presbyter superveniens legit, & patri ejus consuluit, ut applicaretur scholæ. Quod contigit, & factus adultus, factus est pædagogus præsens, de quo plus in Gregorio. Quadam ergo nocte Cæsar vidit in somno filium suum ad mensam solemnem sedere, cum eodem scholare fusco. Cui tunc duo cornua crescebant ad cœlum sublimia, quibus filium suum dejecit in lutum. Visionem naravit uxori, & ipsa resolvit in hunc modum: *Scholaris iste Papa futurus destituet filium suum ab imperio.* Quo audito, præcepit rex scholarem incarceratum in Hammerstein fame perire. Expleto autem anni circulo, regina cum principibus intercessit pro scholari, magnum Romanorum Imperatori pudorem impingens, cum somnia sæpe fallant, si quisquam ab illo hac de causa periret. Taliter iste absolutus ivit ad Studium, & habitu mutato factus est monachus, & gradatim ascendens, factus est Papa Gregorius sequens. Henricus vero iste tertius moriturus, quia semper corde erat *Goslariæ*, ut viscera sua ibi reconderentur petiit, reliquum autem corpus locaretur *Spiræ*, cujus extitit fundator. Qui celerem affectus effectum consecutus est, ipso præsentem vitam in Domino finiente III. Non. Octobr. H.

HENRIBVS IV. imperavit annos L. Admodum puer assumtus est, matre regente quasi x. annis imperium. Quæ tandem consideratis malis imperii, quibus resistere non valuit, Bavarorum ducatu, sibi in dotem dato, relicto, Romam ivit, ibi sepulta juxta S. Petronillam. Hæc est *Agnes* uxor Henrici tertii. Puer ergo iste Henricus IV. cœpit venatui, lusibus, aliisque plus quam justitiis faciendis operam dare. Inde cœpit discordia principum contra eum succrescere. Irritabat enim multos nobiles, & singulariter Saxones, eo quod *Ottonem*

Du-

Ducem Saxoniæ sive de Brunswik / ducatu Bavariæ privavit, & *VVelfoni* Suevo contulit. (Iste Otto construxit monasterium S. Basilii in *Northeim*, cujus filii *Sigfridus*, *Hermannus* & *Cono*, non Duces, sed Comites in *Homburg* amplius dicebantur. Istius Sigfridi filius, æque *Sifridus*, fundator est monasterii in *Amelungsborn*, & iste ultimus Sigfridus obiit sine liberis in *Northem*, in capella S. Nicolai cum suis patribus in Christo sepultus. *Hermannus*, etiam filius istius Ottonis occisus est à militibus Episcopi Trajectensis; & *Cono* frater ejus à funestis hominibus nocte quadam interemtus est. A. Et hoc anno 1103.) Iste Henricus construxit contra Saxones castrum firmissimum Hartesborg / unde sæpius Saxones impugnavit. Sed isti conglobati castrum diruerunt, & ex hoc multiplex prælium exortum est. Otto enim Dux Saxonum cum Saxonibus magnam cædem fecit contra regem juxta Esschenwegen / anno Domini 1069. sed pax facta inter eos juxta Parthenopolin non diu duravit. Eodem enim anno Saxones regem fugabant, & castrum Hartesborg destruentes, claustrum Canonicorum, quod ibi erat, penitus destruxerunt, & dictu nefas, innocentis filii regis ossa in contumeliam patris de sepulchro ejicientes, dispergunt. Imperator ergo valida manu Saxones petit plurimis præliis. Anno enim Domini MLXXIII. fuit expeditio prima regis in Saxoniam, quæ tamen statim pacificata est. Secunda expeditio bello commissa juxta flumen Unstrot, ubi inter multos nobiles cecidit *Gebehardus* pater Lotharii Imperatoris sequentis, & Episcopus Lozannæ cum aliis occisus est. Tertia expeditio eodem anno in autumno facta est, ubi diu ad invicem pugnantibus, *Rodolfus* Dux Suevorum & Burgundiæ, vir bonus & amator pacis, utrique parti consulens, apud Saxones obtinuit, ut pacem cum rege facientes sine molestia remearent ad propria. Quod dum placeret & confirmatum esset, die

ſet, die Dominica, cum treuga ſtarent ad illum diem, Cæſarienſes ſuper Saxones inermes & nihil mali ſuſpicantes, irruentes, multos occiderunt, & principes eorum captos arctæ cuſtodiæ manciparunt. Contriſtatus eſt valde Rodolfus, eo quod promiſſa non ſervarentur. Poſt paucos igitur dies, præter voluntatem regis & ſcitum Principes Saxonum liberati ad propria redierunt. Tunc principes Saxoniæ cum amicis contra regem conjurant, multos ſibi attrahentes, videlicet *Sigfridum* Maguntinum & *Gevehardum* Alſeburgenſem, Archiepiſcopos; *Adelbertum* Wormatienſem & *Alberonem* Wortzeburgenſem; quibus & *Cono* Colonienſis Archiepiſcopus, imo & Papa *Alexander*, conſenſum dicitur præbuiſſe. Quibus rex territus Saxonia diſceſſit, & collecto exercitu quartam fecit expeditionem, ſed fruſtra. Tunc autem Principes Saxoniæ contra regem colloquium habuerunt in *Oppenhem*, & legatis miſſis omnia Papæ detulerunt. *Cono* Colonienſis ergo & *Harmannus* Bambergenſis, Epiſcopi ad curiam miſſi, regem literis Apoſtolicis vocaverunt ad ſatisfaciendum de iis, quæ Romæ ſunt audita. Rex primam & ſecundam vocationem non advertens, tertia vice vocatus, de ſuorum conſilio Papæ comparuit, recipiens in mandato integro anno humili veſte pedeſter limina S S. Romæ viſitare. Quod dum humiliter implere ſatageret, conſilio Maguntini Epiſcopi, & quorundam aliorum regis æmulorum Apoſtolicus miſit auream coronam dicto Rodolfo, ſic inſignitam, *Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodolfo*; præcepitque Electoribus, ut ſtatuerent eum regem. Sed Rodolfus non conſenſit, dicens ſe regi juraſſe nec poſſe fidem violare. Sed tandem prece victus iſtorum Papæ conſenſit. Porro Cæſar Romæ conſiſtebat, ignarus malorum, quæ adverſus eum agebantur. Surrexit ergo Straceburgenſis Epiſcopus regis amiciſſimus, & velociter pergens Romam, in-

 venit

venit regem inter memorias martyrum conversantem, nuncians novum principem erga se electum, opusque esse quantocius Alemanniam revisere. Cumque rex diceret, *nequaquam sine licentia Papæ abeundum:* Ille respondit; *Noveris certe omne hoc conspirationis malum de fonte Romanæ perfidiæ manasse.* Egressus ergo Rex venit in Almaniam, & lætati sunt sui, præcipue civitates Rheni, congregavitque exercitum grandem, & fuit cum eo, qui postmodum terram sanctam recuperavit, ille *Gotfridus* famosissimus, pugnaveruntque Reges mutuo, & victa est pars Rodolfi, vulneratusque manu dextra, dixit suis: *Videtis manum meam vulneratam, hac ego juravi Domino meo Henrico non nocere, nec ejus gloriæ insidiari. Sed jussio Apostolici, petitioq; Principum, me fecit juramenti transgressorem.* Et hæc dicens, juxta fluvium Elstar/ *Mersborg* delatus in brevi deficiens, ibidem cum honore sepultus est. Hunc autem inunxit Syfridus Archiepiscopus Maguntinus in Vorchem. Anno igitur Domini MLXXVIII. expeditio Regis Hinrici quarta facta est contra Saxones juxta fluvium Necar. Tunc etiam Saxones obsiderunt Wörtzeborg: & anno sequenti expeditio quinta facta est in Orientali Francia, & utrinque multi ceciderunt. Sexta autem facta est in Hassia, ubi Fritzlar combusta cum monasterio S. Bonifacii. Septima vero facta iterum prope Unstrot/ VI. Kal. Febr. cum magno utrorumque casu. Anno igitur Domini MLXXXIIII. Saxones cum suis Wortzeborg obsidentes, cum Rex civitati succurreret, ipse fugatus & exercitus ejus contritus est, & civiras capta. Tunc Sifridus Archiepiscopus Maguntinus obiit, Verselo succedit. Anno Domini MLXXXV. duæ expeditiones Imperatoris contra Saxones factæ non nocuerunt. Tandem Imperator pacem faciens cum Saxonibus Romam ivit, cui Græcorum Legati magna munera obtulerunt in auro & argento & vasis pretiosis. Tunc Henricus

cus Imperator cepit Campaniam & Apuliam, & omnes Romanos in deditionem, & cum magna gloria Romam intravit. Unde Romani compulsi xx. obsides ex nobilibus regi dantes, petierunt diem, quo se cum Papa humiliter Regi præsentarent. Sed die statuto Papa fugiens, Salerniam secessit. Imperator ergo *Wigbertum* Ravennatensem Episcopum *Clementem* appellando, Papam constituit, â quo ipse cum *Berta* regina coronatur. Inde Augustam ab hostibus invasam liberavit, & Maguntiam veniens grandi collecto Episcoporum consilio, Gregorium VII. tanquam regni traditorem, damnavit; sicut & Wormatiæ omnia decreta ejus cassavit. Ibi enim in festo Pentecostes Rege suggerente omnes Principes, & Episcopi universi, præter Saxones, contra Gregorium Papam conspiraverunt, mittentes ad eum epistolam, ita post multas culpationes in eum conjectas conclusam: *Quia igitur introitus tuus tantis perjuriis est initiatus, & Ecclesia Dei tam gravi tempestate per abusionem novitatum tuarum periclitatur, & vitam conversationemq; tuam tam multiplici infamia dehonestasti, obedientiam, quam tibi nullam promisimus, nec de cætero ullam servaturos esse renunciamus. Et quia nemo nostrum, ut tu publice declamabas: tibi hactenus fuit Episcopus: tu quoq; nulli nostrum à modo eris Apostolicus.* Ibi omnes Episcopi rebelles Imperatori de mandato Clementis judicantur deponendi. Tunc Gregorius ivit ad Franciam, quia isti pro Papa tenuerunt, & schisma grande factum est, quia Gregorius Imperatorem degradavit & cum suis excommunicavit. Circa tempus illud æstas tam fervida facta est, ut non solum homines, sed & pisces perirent in aquis. Et terræ motus magnus portendens malum toti orbi imminens. Tunc Maguntiæ, Babenbergæ multa monasteria sunt exusta. Tanta igitur discordia inter regem & Saxones durante, ipsi elegerunt HERMANNUM Knufflock/ in Cæsa-

venit regem inter memorias martyrum conversantem, nunciens novum principem erga se electum, opusque esse quantocius Alemanniam revisere. Cumque rex diceret, *nequaquam sine licentia Papæ abeundum:* Ille respondit; *Noveris certe omne hoc conspirationis malum de fonte Romanæ perfidiæ manasse.* Egressus ergo Rex venit in Almaniam, & lætati sunt sui, præcipue civitates Rheni, congregavitque exercitum grandem, & fuit cum eo, qui postmodum terram sanctam recuperavit, ille *Gotfridus* famosissimus, pugnaveruntque Reges mutuo, & victa est pars Rodolfi, vulneratusque manu dextra, dixit suis: *Videtis manum meam vulneratam, hac ego juravi Domino meo Henrico non nocere, nec ejus gloriæ insidiari. Sed jussio Apostolici, petitioq; Principum, me fecit juramenti transgressorem.* Et hæc dicens, juxta fluvium Elstar/ *Mersborg* delatus in brevi deficiens, ibidem cum honore sepultus est. Hunc autem inunxit Syfridus Archiepiscopus Maguntinus in Vorchem. Anno igitur Domini MLXXVIII. expeditio Regis Hinrici quarta facta est contra Saxones juxta fluvium Necar. Tunc etiam Saxones obsiderunt Wörtzeborg: & anno sequenti expeditio quinta facta est in Orientali Francia, & utrinque multi ceciderunt. Sexta autem facta est in Hassia, ubi Fritzlar combusta cum monasterio S. Bonifacii. Septima vero facta iterum prope Unstrot/ VI. Kal. Febr. cum magno utrorumque casu. Anno igitur Domini MLXXXIIII. Saxones cum suis Wortzeborg obsidentes, cum Rex civitati succurreret, ipse fugatus & exercitus ejus contritus est, & civitas capta. Tunc Sifridus Archiepiscopus Maguntinus obiit, Verselo succedit. Anno Domini MLXXXV. duæ expeditiones Imperatoris contra Saxones factæ non nocuerunt. Tandem Imperator pacem faciens cum Saxonibus Romam ivit, cui Græcorum Legati magna munera obtulerunt in auro & argento & vasis pretiosis. Tunc Henricus

cus Imperator cepit Campaniam & Apuliam, & omnes Romanos in deditionem, & cum magna gloria Romam intravit. Unde Romani compulsi xx. obsides ex nobilibus regi dantes, petierunt diem, quo se cum Papa humiliter Regi præsentarent. Sed die statuto Papa fugiens, Salerniam secessit. Imperator ergo *Wigbertum* Ravennatensem Episcopum *Clementem* appellando, Papam constituit, â quo ipse cum *Berta* regina coronatur. Inde Augustam ab hostibus invasam liberavit, & Maguntiam veniens grandi collecto Episcoporum consilio, Gregorium VII. tanquam regni traditorem, damnavit; sicut & Wormatiæ omnia decreta ejus cassavit. Ibi enim in festo Pentecostes Rege suggerente omnes Principes, & Episcopi universi, præter Saxones, contra Gregorium Papam conspiraverunt, mittentes ad eum epistolam, ita post multas culpationes in eum conjectas conclusam: *Quia igitur introitus tuus tantis perjuriis est initiatus, & Ecclesia Dei tam gravi tempestate per abusionem novitatum tuarum periclitatur, & vitam conversationemq; tuam tam multiplici infamia dehonestasti, obedientiam, quam tibi nullam promisimus, nec de cætero ullam servaturos esse renunciamus. Et quia nemo nostrum, ut tu publice declamabas: tibi hactenus fuit Episcopus: tu quoq; nulli nostrum à modo eris Apostolicus.* Ibi omnes Episcopi rebelles Imperatori de mandato Clementis judicantur deponendi. Tunc Gregorius ivit ad Franciam, quia isti pro Papa tenuerunt, & schisma grande factum est, quia Gregorius Imperatorem degradavit & cum suis excommunicavit. Circa tempus illud æstas tam fervida facta est, ut non solum homines, sed & pisces perirent in aquis. Et terræ motus magnus portendens malum toti orbi imminens. Tunc Maguntiæ, Babenbergæ multa monasteria sunt exusta. Tanta igitur discordia inter regem & Saxones durante, ipsi elegerunt HERMANNUM Knufflock / in Cæsarem:

rem; sic enim ipsum nominabant, quia electus fuit in *Bleve* ubi allium abundat. Hic consecratus. est Goslariæ à Sifrido Maguntino Episcopo. Et tandem Saxonibus iterum pacificatus, dictus Hermannus, regis nomine deposito, permissione Imperatoris, voluntarie reversus est ad propria. Anno ergo sequenti, scilicet MLXXXIX. Imperator duxit filiam regis Tuscorum *Agnetem* castissimam & in Italia fere septem annis tunc morabatur. Æmulis autem Regis Papam inducentibus conclusum tandem est, non commodius quam per proprium filium Imperatorem posse à regno depelli. Unde Maguntinus, Coloniensis, Wormatiensis & Spirensis Præsules præcipue ex mandato Papæ Paschalis, sicut procuraverunt, ad Henricum in *Ingelinhem* dixerunt ex ore Papæ: *redde nobis coronam cæteraq; imperialis vestitura clenodia filio tuo deferenda.* Cumque causas, cur ita, requireret, responderunt: *Eo quod Episcopatus, Abbatias & Ecclesiæ regimina venalia simoniace fecisti.* Contra quod Rex ait; *dicitis, quod spirituales dignitates vendiderimus; Dic ergo Maguntine, adjuratus per nomen æterni Dei, quid exegimus aut recepimus, quando te Maguntiæ præfecimus? Te quoq;, Coloniensis, per fidem contestamur, dic, quid nobis dedisti pro sede, cui nostra munificentia præsides?* Illis fatentibus, nil hujus rei gratia postulatum aut acceptum: Rex ait: *Gloria Deo, quia vel in hac parte fideles inventi sumus. Certe dignitates istæ præstantissimæ magnum quæstum cameræ nostræ intulissent. Nolite ergo gloriam nostram confusione terminare. Si autem curia decreverit, filio nostro coronam manibus propriis resignabimus.* Cœperunt ergo Principes hæsitare, quid agerent, quia magnarum rerum ingressus semper sunt difficiles. Pontificibus autem malitia stipatis, & Regi quasi desolato, dixit Maguntinus: *Nonne nos sumus, qui regem eligimus? Negotium pro quo venimus explebimus.* Sicque Regem purpura cæterisque sacris exuerunt.

Tunc

Tunc Rex, *videat*, ait, *Deus, & judicet, quæ inique agitis contra me.* Illi vero obturantes aures suas, imperialia filio deferentes, ipsum contra patrem instigarunt. Rex autem tantum xv. comitatus, venit ad quendam nobilem, qui nomine sui exercitum congregavit, & commissum est sæpius bellum patris adversus filium, & nunc hic, nunc iste triumphavit. Tandem Cæsar victus, dixit Episcopo Spirensi: *Ecce destitutus regno, nihil mihi melius est, quam Deo servire. Da mihi præbendam apud Spiram; scio enim literas, & adhuc possum choro subservire, & virgini Mariæ, cujus ingens templum decoravi.* Ad quem ille, *per matrem Domini*, inquit, *non faciam.* Tunc rex suspirans, ait; *misereatur tui Deus.* Indeque ad tantam pervenit paupertatem, quod ocreas exponens pro pane, cum præter Gladium nihil haberet, illum filio misit, dicens: *Si plus sibi reliquisset, plus sibi misisset:* Sicque Hinricus solemnissimus Imperator, dictus *Pater pauperum* VII. Id. Augusti, migravit ad Christum, & Leodii stetit quinque annis inhumatus in capella deserta, donec ei filius absolutionem impetravit. O magna Dei judicia, quæ completa sunt in tam præpotenti viro. Sperandum est autem, quod caminus iste tribulationis, scoriam ejus decoxit peccatorum. Unum vero scire licet, quod Romana sedes adhuc hodie luit factum istud. H.

HENRICUS quintus, filius quarti, imperat annos xx. Duxit uxorem *Mechilt*, filiam Regis *Angliæ*. Ipse habuit conventum Episcoporum in villa regia Northusen / ubi Rothardum Episcopum Maguntinum, quem pater privavit, restituit. In festo Paschæ habuit consilium Episcoporum in Quedelinborg / ubi decretis patris lectis, quæcunque poterant emendari, corrigebantur. Simoniam vero ad Apostolicam audientiam differebant. Ibi Fredericus Halverstadensis Episcopus deponitur & Mindensis, convicti de Simonia. Hildensemensis

autem & Padebornensis suspensi sunt ab Apostolico examinandi. Idem Rex, dum quadam die esset in civitate Imperiali Lübeck/ improvisus supervenit exercitus *Ranarum*, i. e. *Slavorum Rugianorum*, quos auxiliante Deo Christiani vicerunt, feceruntque tumulum magnum de corporibus paganorum, qui usque hodie dicitur Ranenberg: statuentes ut die Kal. Augusti celebretur annis ibi singulis illius recordatio perpetua. *Ex Chronica Sclavorum.* Idem Henricus cum ingenti armatorum multitudine Romam pergit: cui *Paschalis* Papa non modice lætatus cum suis occurrit. Ut autem ventum est ad consecrationem, exegit ab eo Papa juramentum fidelitatis. Rex autem jurare nolens dixit: *Imperatorem nemini debere jurare; cui juramentorum Sacramenta ab omnibus sint exhibenda.* Facta est ergo inter eos contentio, & irruerunt Romani, & ortum est bellum in domo S. Petri, quale non est auditum ab antiquis: prævaluitque Regis exercitus, & Romanos attrivit, repletaque est domus sanctificationis morticiniis, profluxitque sanguis in Tiberim. Vidisses ibi Cardinales funibus in collo missos nudos trahi, vinctis post terga manibus, Papamque captum: sicque Papa compulsus Regem consecravit, captivis relaxatis. Inde idem Henricus ad Poloniam movit exercitum, multoque labore denegatum terræ illius exegit tributum. Sequenti anno nunciatur Regi, quendam paganum ducatum occupare, gentis Bohemiæ: qui mox Principes cum valida manu præmisit. Qui prospera velocitate Pragam, cum hostibus intra deprehensis, ceperunt, Regique subsequenti cum triumpho occurrerunt. Tunc idem Henricus ducatum Saxoniæ tribuit *Ludero*, eo quod *Magnus* filium non haberet, sed tantum filias. Luderus autem cum modestia gubernavit tam Saxones quam Slavos. Iste est Imperator sequens. Postquam ergo Henricus Imperator prospere agens ducem Bohemiæ *Bosivi* ducatu privavit, & terram

ram tributariam fecit; voluit Saxoniam ſubjugare & tributariam facere. Unde deſtruxit *Halverſtad* & Brunſwik obſedit, Saxones autem adunati, ſe fortiter adjutorio Dei defendentes, tam ab illis Chriſtianis, quam ab altera parte à paganis Sclavis, terram ſuam defenſarunt. Tunc enim Sclavi Saxoniam infeſtabant. Sed Luderus Dux Saxonum novem urbibus eorum ſubjugatis pacem fecit, petitis & acceptis obſidibus, victor rediit in hoſtes Cæſarienſes. *Raynhardus* tunc Epiſcopus Halverſtadenſis inter miſſarum ſolemnia verbum faciens ad populum *movit eos divinam implorare clementiam, ac pro defenſione libertatis & patriæ viriliter pugnare.* Unde Saxones armati hoſtes quaſi oves aggreſſi tanto ſunt furore, ut xx vel xxx Imperiales ab uno Saxone occumberent. Toto ergo die in Welpeeholt pugnatum eſt, & nox bellum diremit. Rex itaque fugatus nocte pererrans, tandem ſe recepit in Bavariam: Saxones autem victores ad propria redierunt. Inde & oppidum Openheim violenter ceperunt & deſtruxerunt, verum flammis conflagrantibus ad duo millia hominum perierunt. Inde & caſtrum Kyffhuſen prope Northuſen eſt everſum. *Verſus:*

Anno milleno centeno ter quoq; quinto,
Silvam Welfonis perfuderat unda cruoris,
Salvi Saxones Francones atq; Thuringi:
Henrici Regis exercitus eſt ſuperatus.

Dux *Luderus* Saxonum, & Comes *Hermannus* de Wintzenborg cum forti manu civitatem Münſter invadunt, pro reſtituendo Epiſcopo *Tiderico* ſpoliato: in quo tumulto templum S. Pauli, cum tota fere urbe flamma conſumſit. Reſtituto autem Pontifice multam pecuniam prædicti Principes ad reſtitutionem Eccleſiæ contulerunt: & dixerunt homines, tanti excidii cauſam non eſſe aliam, niſi quod defuncti Borghardi Epiſcopi, qui multa illic ex iniquitate comportaverat, monſtraretur

getur Deo oblatio non placuisse. Imperator iterum Romam vadit propter sedandam discordiam inter regnum & sacerdotium. Rex enim uti volens autoritate & consuetudine privilegiata, quæ à Karolo Magno Romanis Imperatoribus data, jam quasi ccc. annis sub LXIII. Apostolicis duravit: qui licite dabant Episcopatus & Abbatias per virgam & annulum. Contra quos Gregorius Urbanus, & cæteri censebant, nec posse nec debere aliquam dignitatem Ecclesiasticam dari à manu laicali. In reconciliatione ergo, quæ tunc facta est inter Imperatorem & Papam die Paschæ, Papa post lectum Evangelium tradidit Henrico coronato, ante altare BB. Petri & Pauli, in oculis omnium Principum, privilegium de investitura Episcopatuum & Abbatiarum per annulum & virgam. Dein tradidit ei corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi, dicens: *Domine Imperator, hoc corpus Domini, natum ex Maria virgine, passum pro nobis in cruce, damus tibi in confirmationem veræ pacis inter me & te. Specul. hist. lib. XXVII. c. X.* Similiter facto conventu apud urbem Wangionum, quæ nunc dicitur *Wormatia*, pro pace & concordia inter Papam & Regem; per Hostiensem Episcopum, quem cum cæteris legatis suis Papa transmiserat, tractabatur; qualiter ecclesiasticas investituras, cæteraque spiritualia negotia, quæ multo tempore Teutonici administraverant; tunc Rex Ecclesiæ dimiserit, vel qualia ipsi autoritas Apostolica concesserit, utriusque partis scripta docebunt, hoc modo: *Ego Henricus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, pro Dei amore, & S. Romanæ Ecclesiæ, & pro remedio animæ meæ, dimitto Deo, & S. Apostolis ejus Petro & Paulo, sanctæq; catholicæ Ecclesiæ, omnem investituram per annulum & baculum; & concedo in omnibus Ecclesiis fieri electionem & liberam consecrationem. Possessiones quoque & regalia B. Petri, quæ à principio hujus discordiæ, usq; in hodiernum diem*

sive

sive tempore patris mei, sive tempore meo oblata sunt, quæ habeo S. Romanæ Ecclesiæ restituo, quæ autem non habeo, ut restituantur fideliter juvabo. Idem de omnibus aliis Ecclesiis: & do veram pacem Domino Papæ, Sanctæq; Romanæ Ecclesiæ, & in quibus Ecclesia postulaverit auxilium, fideliter juvabo. Kalixtus vero dedit hoc privilegium Henrico in hanc formam: *Ego Kalixtus servus servorum Dei, dilecto filio Henrico Dei gratia Romanorum Imperatori semper Augusto, concedo electiones Episcoporum & Abbatum Teutonici regni, quæ ad regnum pertinent, in præsentia tui fieri absq; simonia & aliqua violentia. Et si qua inter partes discordia emerserit, judicio vel consilio saniori assumto, auxilium præbeas. Electus autem regalia per sceptrum à te recipiat, exemtis omnibus, quæ ad Romanam Ecclesiam pertinere noscuntur. Ex aliis vero partibus Imperii consecratus, infra sex menses regalia per sceptrum à te recipiat. De quibus vero mihi querimoniam feceritis, secundum officii mei debitum auxilium præstabo. Do tibi veram pacem, & omnibus qui in parte tua sunt, vel fuerunt, tempore hujus discordiæ.*

LUDERUS, *Ludolfus* vel *Lotharius*, Dux Saxonum vel Brunswik/ Maguntiæ per omnes, sed invitus assumtus, imperavit annis XII. honestis actibus & morum probitate decoratus, in bellis expertissimus, victor frequentissimus, amator justitiæ, & suorum prædecessorum *Ottonum* imitator & hæres Christianissimus: cujus toto tempore Ecclesia pace gaudebat, divini cultus religio crescebat, cunctarumque rerum opulentia abundabat. Cum enim Henricus quintus uxore dimissa nusquam compareret, & ut quidam dicunt, occulte peregrinationem aggressus, Cluniaci factus sit monachus: *Conradus* sequens, quasi regni hæres, imperium arripuit, & diu contra Lotharium litigando, tandem Lothario prævalente, Conradus ipsi reconciliatus succedit. *Versus:*

Anno milleno centeno bis duodeno,
Friburg *fundatur, Conradus Dux dominatur.*

Lotharius ergo Romæ coronatus, Bambergæ quadragesimam celebrans, dictum Conradum & Fridericum, interventu S. Bernhardi tunc præsentis, recepit in gratiam. Inde revertens in Saxoniam, Regem Polonorum cum multis muneribus obvium habuit: quem non prius admisit, quam tributum XII. annorum, de quolibet anno L. libras persolveret, & de Pomeranis & Rugianis homagium faceret. Regem quoque Danorum in signum subjectionis, gladium sibi sub corona deferre fecit: ab Ungarorum etiam rege multa & magnifica munera suscepit. Spiram civitatem IX. mensibus oppugnatam cepit, & Augustam civitatem. Regnum Siciliæ intrans cum Papa Rogerium, qui tunc contra Papam se erexerat, & Apuliam occupaverat, potenter expulit, constituens Raynonem Ducem Apuliæ. Inde in Calabria, Campania, Trinacria, tam fortia bella gessit, ut nullus à Karolo Magno ibi tanta fecisse dicatur, juvante eum præ omnibus civitatibus nobili Pisanorum civitate: de quorum laude scribit B. *Bernhardus* ad eundem Lotharium Imperatorem, his verbis: *Homines duplici dignos honore & gratia, Pisanos dico, qui primi & soli erexere vexillum adversus invasorem Imperii, accincti multis millibus suis exierant oppugnare tyrannum, ulcisci injuriam domini sui, & imperialem defensare coronam. Quænam, quæso, in omnibus civitatibus sicut Pisa, fidelis egrediens & regrediens, & pergens ad Imperium Regis? Nonne hi sunt, qui nuper regni illum potentissimum hostem in obsidione Neapolis fugaverunt? Nonne hi sunt, qui &, quod pene incredibile dictu est, una impetu suo expugnaverunt duas civitates opulentissimas & munitissimas, quæ prius omnibus erant inexpugnabiles? Hi summum Pontificem exulem apud se cum summo honore servabant & servant; pro servitio quoque Impera-*

peratoris & ipsi tunc exulabant. Factum est mirandum, ut gratiam, qui offenderunt, & iram, qui servierunt, mererentur. Sed, si vos ista nesciebatis, nunc, quando res nota est, oportet, decet & expedit, mutare vos & verbum & animum, ut viri regiis favoribus & muneribus honorandi, de catero recipiant, sicut digni sunt. O quantum Pisani meruerunt; quantum adhuc mereri possunt! Satis est dictum sapienti. Idem Bernhardus Epistola XVIII. secundæ partis suæ: *Lothario Dei gratia Rom. Imp. Augusto, Bernhardus Abbas de Claravalle. Si quid potest peccatorum oratio, benedictus Deus, qui vos elegit & erexit cornu salutis nobis, ad laudem & gloriam nominis sui, & reparandum decus imperii, ad subveniendum Ecclesiæ sua in tempore malo, postremo ad operandum & nunc salutem in medio terra. Ipsius est opus, quod corona gloria vestra ita indies ampliatur & sublimatur apud Deum & homines. Non est meum hortari ad pugnam; est tamen, securus dico, Advocati Ecclesia, arcere ab Ecclesia infestatione schismaticorum rabiem, est Cæsaris vindicare coronam ab usurpatore Siculo. Procul dubio omnis qui in Sicilia regem se facit, contradicit Cæsari.* Idem ad Eundem: *In reconciliatione Mediolanensi non sumus obliti, unde à Vestra Excellentia pramoniti fueramus. Quod etsi non monuissetis, nihilominus honori vestro, & regni utilitatibus intenderemus, sicut ubique & semper, fideliter quantum possumus facimus. Non autem sane Mediolanenses in gratiam Domini Papa & Ecclesia unitatem recepti sunt, quousque palam Conrado refutato, & abnegato, Dominum nostrum Lotharium in suum Regem & Dominum receperunt, & Romanorum Imperatorem Augustum, unà cùm toto orbe confessi sunt, & de injuria transacta, juxta consilium & mandatum Domini Papa, digne se vobis satisfacturos esse, tacto SS. Evangelio spoponderunt. Unde magnas gratias agentes Domini bonitati, qua absque bellorum periculis, absque humani sanguinis effusione, inimicos vestros sic humiliavit; rogamus vestram*

 satis

satis nobis expertam clementiam, ut tempore suo, cum requisierint prædicti Mediolanenses suæ reconciliationis vestram gratiam, benignos vos atque placabiles inveniamus. Quatenus nec eos pœniteat sanis paruisse consiliis, & vos de eis debitum habeatis servitium. In Sclavia Saxoniæ tunc multiplex invaluit idolorum cultura. Sed Lotharius, cujus erga vocationem gentium semper virtus fuit & intentio, pacem reformavit inter Sclavos & Saxones; dans ducatum Saxoniæ *Hinrico* genero suo, Duci Bavariæ. Ipse autem fecit primum Lantgravium Thuringiæ *Lodowicum*, cujus pater construxit Reynsborne. Nam antea terra Thuringiæ fuit sub Comite de Winzingeborg. Hermannus autem Comes ibidem, quia occidit dominum suum *Vdonem* Marchionem, factus reus læsæ majestatis, tradidit se cum castro Imperatori. Iste Comes, postquam non cessavit à tyrannide, cum uxore sua Lutgard imprægnata, quam priore dimissa duxerat, à ministerialibus Hildesemensis diœcesis gladio transverberatus est in lecto, III. Kal Febr. anno Domini 1152. Idem Comes post VII. diem obitus apparuit Præposito Paludensi, conventu præsente, ignita lorica vestitus. Quibus fideliter orantibus pro eo post XXX. dies iterum apparuit vestibus honestis indutus & salvatus. H. Lotharius ergo anno imperii sui XIII. & ultimo, cum multa disposuisset in Apulia & Calabria castrum quoddam in latere montis Barensis, per quendam Principem Latinorum occupatum, de quo idem mari terraque multos opprimebat, destruxit, & prædones numero D. jussit circa terram exustam suspendi; & sic ab Italia discedens, in itinere mortuus, sepultus in loco *Luthura*, Teutonice Lutter, nominato. *Item T. E.*

Post hæc Luderus rexit Christicola verus.
Hic sancto Petro forma crucis ordine retro,
Luttere tunc claustrum fundans situavit ad austrum.
Quo deportatus requiescit ibi tumulatus.

Cujus

Cujus mortem multi potentes vel inmediate præcesserunt, vel statim sunt secuti. *Bruno* enim Archiepiscopus Coloniensis secum in reysa Trinacriæ sepultus est in Barra. Abbas Fuldensis, & *Lippoldus* Marchio, cum multis aliis potentibus ibidem obierunt. Cometa enim visa est, & Eclipsis solis in Augusto, & lunæ similiter; quam secuta est grando & glacies miræ magnitudinis, ædificia, frumenta, bestiasque consumens: & secutus est ventus vehemens, multas naves submergens, & arbores evellens, ut vix decima pars silvarum remansisse dicatur: & secuta est siccitas nimia, ut pene omnes fontes siccarentur, & tam valida fames, ut tertia pars populi occubuisse dicatur. *Walckenrede* solemne monasterium Cisteriensis Ordinis fundatur. *Versus:*

Anno milleno C. septenoq; vigeno,
Walckenred struitur, Christus ubi colitur.

Reliquiæ S. Matthiæ reperiuntur Treveris. Abbatia in Volkeldcrode, & monasterium in *Porta* construitur. *Versus:*

Imperat his annis si Lotharius duodenis.
Bis licet Italiam, Romam quoq; denuo venit,
Et semel Apuliam cum feritate premit.
Rogerius tunc Dux Siculus regnasse putatur,
Pulsus ab Apulia, quia Cæsaris ense fugatur,
Cæsar tunc Barum vincit ad usque Pharum.
Lothario moriente venit Conradus honestus,
Hostibus infestus, sapiens, ad cuncta modestus,
Quem satis imperium laudat, & omne solum,
Et timet hunc Siculus dum perdere regna veretur.

CONRADUS tertius Suevus, nepos *Lotharii* ex sorore, frater *Friderici*, patris *Friderici* sequentis Imperatoris, imperat anno XII. cujus uxor erat Gertrud. Contra hunc rebellavit Dux Poloniæ, qui duxit ejus sororem in uxorem. Sed

 victus;

victus est, & ductus Oldenborch / pane tribulationis sustentatus. H. *Conradus* etiam Comes Moraviæ, conspiratione facta cum Bohemis, expulit Ducem Bohemorum, Cæsare tunc cum exercitu festum Pentecostes solemniter & potenter Pragæ celebrante. Post hæc Conradus Saxoniam ingressus, data vidua Ducis Henrici, filia Lotharii Imperatoris, fratri suo *Henrico* Marchioni Austriæ, cum ducatu Norico, pacem fecit cum Saxonibus, quod in Bavaria discordiam seminavit. Nam *Gvelfo* Princeps, ducatum Noricum, tanquam hæreditatis jure ad se devolutum, invasit, sed nihil profecit. Hoc tempore in Saxonia oppidum Groningen destruitur, Anhalt incenditur, & *Wigandus* Halberstadiensis Episcopus occiditur à familiaribus Martini, tunc ibi Præpositi. *Versus:*

Frater honorandus Christi Levita VVigandus,
Quid moriens tulerit, hæc series aperit.
Ausus enim cleri communia jura tueri
Saucius ense ruit, justaq; facta luit. H.

Ordo Johannitarum cœpit; & in Italia cœpit insolentia gravissima. Nam Veneti cum Ravennatensibus: Veronenses & Vincentini cum Paduanis, & cæteræ civitates ad invicem atrociter bellantes, pene totam Italiam cruore, prædis & incendiis permiscuere. *Eugenius III.* Pisanus, prius Abbas S. Anastasii & discipulus S. Bernhardi, pulsus ab urbe intravit Galliam, mittens ante se B. Bernhardum, prædicare crucem Domini contra Paganos. Veniens autem Bernhardus in urbem Spiram cum ibi prædicaret, tantus factus est concursus, ut Conradus Imperator, ne populus eum opprimeret, in propriis ulnis de basilica deportaret. Tunc in monte S. Ruperti prope Bingen claruit *Hildegardis* monialis Prophetissa, ibidem nunc requiescens, quæ cœpit prophetare anno vitæ suæ LXI. quam multi nobiles, etiam Conradus & Fridericus Imperatores, visita ve-

sitaverunt, quibus plurima futura prædixit, & magnum volumen revelationum conscripsit. Quæ jacet ibidem in claustro monialium. Abbatiæ in Michelstein/ & in valle S. Georgii cœperunt. Hoc tempore fuerunt *Sifridus* & *Hermannus* Comites de Dassel/ qui nominabantur *Hirsuti*. *Johannes de Temporibus*, qui fuit Armiger Karoli Magni, & post mortem ejus vixit annos CCCLXI. hic objit. *Edissa*, quæ nunc *Rhoas* dicitur, unicum Hierosolymitanæ Ecclesiæ refugium, civitas Mesopotamiæ, capta est à Turcis. Ipsa sola quondam, tota terra occidentali à Turcis detenta, sub Christianorum potestate Deo serviebat. Archiepiscopus illius, cum clericis, & infinita multitudine utriusque sexus & ætatis occiditur. Reliquiæ S S. Apostolorum Thomæ & Thadæi, ac aliorum, in conculcationem infidelium dispersæ sunt. Unde *Lodewicus* rex Francorum conscientia compunctus, affixo sibi crucis signo, cum multitudine innumerabili, peregrinationem Hierosolymitanam assumsit. Ad inductionem etiam S. Bernhardi, *Conradus* Imperator cum multis Principibus præparatur ad viam. Erat secum frater suus carnalis *Henricus*: item Duces Bohemiæ & Lotharingiæ, Comites Flandriæ, de Plotz/ cum multis aliis potentibus, & prælatis. Qui aggressi valida manu, Ungariam Bulgariamque transeuntes prope mœnia Constantinopolis urbis castra metati sunt. Verum magnifice Rex Conradus cum omni exercitu à Græcis & eorum Rege excipitur & multis muneribus ampliatur. Adventus igitur sui caussam Rex Conradus depromens, quid facto opus esset, inquisivit. Requisitus est numerus signatorum, & inventa LXX millia bellatorum, absque inermi & plebejo vulgu innumerabili. Posthæc accepta optione, quam terram adirent vellent, designatarum regionum. Juxta dispensationem igitur suorum, Conradus, præviis ductoribus Græcorum, arripuit iter deserti,

ſerti, tendens verſus Armeniam. Deſertum itaque duorum ſeu trium dierum perluſtrantes, reperiunt tabernaculum paſtorum & greges ovium, quod vulgus prædæ cupidus aliter, quam finis docuit, interpretabatur ſuæ deinceps proſperitatis auſpicium, direptis quæ ad manum occurrerant exinde XIV. diebus per horribilem eremum avia ſecuti, locum horroris & vaſtæ ſolitudinis inciderunt, atque peſtilentia, fame & inundationibus, multa millia occubuerunt. Multi à Turcis & Sarracenis ſagittis interierunt, multi etiam capitivi ſunt abducti. His & aliis calamitatibus multis millibus extinctis, tandem conſumti etiam ſterilitate terræ, quippe quibus nec aqua potuit inveniri, reflexere viam. Circumſtrepentibus autem barbaris, & indeſinenter tela jacientibus, Chriſtianorum occubuere plurimi. Imperator item Conradus XIV. diebus, continuatis noctibus, armatus pedeſter adverſus hoſtes pugnans labore vix credibili, ſagitta capite percuſſus, Conſtantinopolin tandem repetens, paucos admodum de tam grandi prius exercitu ſecum reduxit. Rex igitur Græciæ Conradum Cæſarem valida infirmitate detentum, ſumma fecit curari diligentiâ, niſus per hoc expiari ab annotata ſibi circa Teutonicos malevolentia. Plures enim ſuſpicati ſunt, ejus factione populum perditum; quod an credi debeat, ſapiens quisqne tenet incertum. Siquidem antequam Conſtantinopolim devenirent, exercitus algore nimio, fame, peſteque partim ſcitur abſumtus. Rex interim Francorum Lodewicus, pugnans cum gentibus, primo victor extitit, denuo congreſſus, exercitum pene totum amiſit. Reginam quoque ejus hoſtes abduxere captivam. Cæſar autem Conradus convaleſcens, ſupplere deſiderans itineris ſui decrementa, raro milite convocato Jeruſalem adiit, ſepulchrumque Chriſti debito honore veneratus, collecto undique populo, Damaſcum oppu-

oppugnavit; qua robur gentilium excrevisse didicerat. Sed bona voluntate manente, quam solus pensat Deus de reliquo cassum, proh dolor! laborem habuit in umnibus. Reversus igitur anno Domini MCL. Constantinopolin, dedit *Henrico* fratri consobrinam Regis Græcorum. Inde repatriando, paucis diebus supervixit, Bambergæ sepultus. O judicia Dei excelsa, tam grandis expeditio cum modico emolumento soluta est. H. *Versus:*

Tempus abit, Conradus obit, miranda potestas,
Succedit Fridericus ei, relevatur honestas.
Consilio Seneca, specie Paris, Hector in armis,
Regnum bis senis Conradus rexerat annis,
Cum tulit in scapulis insita signa crucis.

FREDERICUS primus, filius fratris *Conradi* præcedentis imperat annis XXXVIII. largus, strenuus & in omnibus gloriosus. Concilium celebravit Constantiæ, pacem faciens per Almaniam & concordiam inter se & Eugenium Papam: ubi etiam conjuge sua repudiara aliam duxit. Huic Romam tendenti, miserunt Romani legatos, qui dicerent: *Romanos paratos esse acceptare Regem, si se imperatorio more eis exhiberet.* Cumque de hoc more quæreret, responderunt, *In curru aureo purpuratum, bello subactos tyrannos pro curribus habentem, caput orbis honorare XV. libras argenti senatui propinando.* Tunc Rex subridens, *grata*, inquit, *promissio, sed cara emtio. Magna requiritis Romani, puto quia occasionem quæritis adversum nos, imponendo non imponenda. Consultius ageretur, si his omissis, amicitiæ nostræ potius, quam armorum ceperitis experimentum.* Ac illi pertinacius instabant, dicentes: *Jura civitatis nullatenus irritanda, alioquin adventanti urbis claustra objicienda.* His auditis, Imperator missa legatione accersivit Papam Adrianum in castra: quo veniente, Rex festinus occurrens, desidenti de equo

I tenuit

tenuit ſtrepam. Ac Papa indignatus, quod ſiniſtram tenuiſſet, cum dextram tenere debuiſſet, unctionem denegavit, dicens: *Si errat in parvo, quomodo implebit magna.* Quod audiens Rex ait; *Defectus non fuit devotionis, ſed ſcientiæ: non enim tenendis ſtrepis ſtudium dedi. Primus eſt Papa, cui tale obſequium feci.* Et adjunxit: *Vellem inſtrui, unde mos talis inoleverit, num ex benevolentia, an ex debito? Si primum, nil cauſetur Papa. Si ex debito, nec ſic: quia reverentia debetur Petro Apoſtolorum Principi, cui nihil intereſt inter dextram ſtrepam vel ſiniſtram.* Diu ergo acriter diſputatum eſt, diſceſſerunt ab invicem ſine oſculo pacis. Tandem revocatus Papa, aſſenſus eſt poſtulationi Principum, factaque concordia, tractaverunt de introitu urbis, & cavendis inſidiis Romanorum. Cum igitur propinquarent urbi, Rex miſi clam noctu DCCC. loricatos cum legatis Papæ ad domum S. Petri, maneque facto, proceſſit Papa cum ſuis, ut Regem ſuſciperent ad gradus. Sic igitur intrantes baſilicam, conſummabant opus conſecrationis. Tunc inter prandendum egreſſi ſunt hoſtiliter more ſuo Romani, & factum eſt prælium ingens. Et paſſi ſunt Romani ruinam magnam, ut antea non legantur uno prælio tot millia cecidiſſe, quot tunc à Teutonicis perimebantur. Unde apud S. Stephanum juxta S. Laurentium Romæ legitur in Epitaphio: *Mille decem decies, & ſex decies quoq; ſeni.* Ibi Henricus Leo, Dux Saxonum mirabilia fecit. *Verſus:*

Nunc Henrice manet tanti te gloria facti,
Qui decus omne tuis ſtravisti cæde ſuperbos.
Cæſare victore firmantur fœdera Roma.
Et patriam repetens ſatagit ſibi ſubdere plebes.

Fridericus iſte portam marmoream miro opere conſtruxit ſuper pontem Capuæ, in qua ſculptus eſt Imperator in majeſtate ſedens, cum duobus collateralibus judicibus, & hiſce verſibus:

Intrent

Intrent securi, qui quærunt vivere puri;
Infidus excludi timeat, vel carcere trudi.
Quam miseros facio, quos variare scio.
Cæsaris imperio regni custodia fio.

Fredericus idem septem vicibus de Almania duxit exercitum in Italiam quam sæpe rebellantem subjugavit, & inter cætera Mediolanum quadriennio obsessam cepit. Tunc civitate capta, dedit Raynaldo Archiepiscopo Coloniensi corpora SS. Trium Regum, cum corporibus SS. Naboris & Nazarii, quæ transtulit Coloniam, ubi honorifice celebrantur. Dedit etiam Geroni Episcopo Halverstadensi ossa SS. Gervasii & Protasii, ad civitatem Halverstad transferenda. Cepit in via Salsburch in deditionem, Albertum filium Ducis Bohemorum Archiepiscopum præficiendo: & Ducem Bohemorum deposuit, patruelem ejus Zoboslaum reponendo. Ipse fecit Karolum Magnum canonizari. Hoc tempore Arnolphus Maguntinus Archiepiscopus, inimicus civium suorum, miserabiliter ab iis interfectus, diu jacuit inhumatus. In cujus ultionem Fredericus Imperator jussit muros civitatis irrumpi, & Ecclesiam S. Jacobi, in qua dictus Episcopus fuit occisus, alibi, ubi nunc est, reædificari. Ipse quodam tempore, cum Romæ monasterium S. Petri, quo se rebelles contulerant, obsideret, quorundam insolentia monasterium id, & templum Pantheon igne flagravit. Tunc & tanta Pestilentia ibi viguit, ut nec morientibus sepultura sufficeret, sed maxima pars eorum in Tiberim projiceretur. Ibi tunc mortui sunt Raynoldus Coloniensis Archiepiscopus, Daniel Pragensis, Leodiensis, Basiliensis & Nurenbergensis Episcopi. Hæc autem clades maxime tetigit Romanos, quippe qui muris inclusi, nullum respirationis exitum habere poterunt. Tunc Imperator cum paucis superstitibus Papiam se contulit. Idem cruce signatus,

 cum

cum exercitu maximo profectus est versus Jerusalem, cum quo fuerunt Ludewicus Landgravius Thuringiæ, cujus ossa relata sepulta sunt in Reinsborn. De Dacia & Frisia advenerunt L. naves, de Frandria xxxviii. cum apparatu grandi, de Italia, Pisani, Ravennatenses, & cæteræ civitates imperiales Richardus rex Angeliæ iter arripuit cum exercitu magno per mare. De Campania & aliis terris illustres plurimi: qui omnes simul apud Tyrum convenerunt. Imperator autem in via Greculum Imperatorem, *Isachar* nomine, eo compulit, ut legatos suos, quos detinuit in vinculis, Episcopum videlicet Monasteriensem & Abbatem Corbejensem cum multis relaxaret: Et Imperatori cum toto suo exercitu, navibus & expensis usque ad portum Joppe provideret, ac per se ipsum, quanto ocyus Terræ Sanctæ cum exercitu subveniret. Idem Rex Græcorum, missis prius legatis ad Imperatorem Nürenberch/ juravit securum transitum sibi cum suis præbiturum. Sed mentitus, quia suos legatos captivaverat, sic compulsus est restaurare. Inde progredientes cum maxima jactura, Iconium potenter intrantes, omnia subjugarunt. Quanta tamen ibi Christiani passi sint, tam per aëris inclementiam, & victualium indigentiam, quam per incursum hostium & multiplicem pugnam, quis enarrabit. Inter cætera tunc clenodia, quæ Imperatori propinabantur, fuit vas balsamo plenum smaragdinum, quod cum nuntii Soldani propinantes multipliciter commendarent, Imperator divisit in omnes. *Non ego solus*, inquiens, *utar hoc nobili thesauro, sed omnes qui mecum sunt:* de quo isti plurimum mirabantur. Tempus advenit æstivum, quo sole tenente leonem, Julius ardebat. Unde Imperator armorum pondere fatigatus & longo sudoris incommodo, specie torrentis amœni delectatus, nudus conabatur natare. Sed apertis poris corporis vi caloris, aquæ frigiditas subito

ſubito nimis intercluſit vitalia; ſicque Princeps tam nobilis, Jubar mundi, Imperator providus, miles ſtrenuus & vir prudentia præcipuus, cui parem natura vix inter mundi Principes dedit, diem clauſit extremum, menſe Auguſto, die Dominica prima. Quis explicare valebit fletum nobilium, dolorem omnium, de tanto Principe, qui fuit in ſuis, quaſi unus ex illis: qui etiam humiles de plebe fratres appellavit, & ſi in via rota carri fracta jacebat, omnes ſubſiſtere fecit, donec ille damno reparato procederet. Mortuo hoc principe acceſſit illud grande periculum, quod exercitus tam copioſus Chriſtianorum factus eſt acephalus per varia loca ſe dividendo. Dux etiam *Otto* filius Imperatoris, adoleſcens magnæ probitatis & ſtrenuitatis apud Ptolemaidem, quæ eſt Accaron, eodem anno feſto SS. Fabiani & Sebaſtiani diem clauſit extremum, in illius exercitus, & regni Jeroſolymitani & terrarum iſtarum ac totius Chriſtianitatis irreparabile damnum. Pater igitur apud Tyrum, filius Otto Ptolomaide, regali modo per Chriſtianos ſunt ſepulti: ſicq; patuit veritas prophetiæ, quam illis prædixit *Joachim Abbas, quod nihil proficerent: nondum enim tempus veniſſe.* In iſto paſſagio fuerunt cum eo Duces Burgundiæ, Moraviæ & Sueviæ: & inter Epiſcopos Sigeloſus Herbipolenſis, vir literatus & facundus, qui crebris exhortationibus caſtra Domini confortabat. Supradicto inſuper Imperatori erat etiam *Henricus* Dux Saxonum ſupradictus, cognomine *Leo*, amiciſſimus, cui etiam Marchionatum Auſtriæ contulit, quem fecit Ducatum, eximendo eum à jurisdictione Bavariæ. Iſte Henricus fundavit Eccleſias multas in *Raceburg*, *Lubecke*, Brunſwik, & Chriſti Baptiſtæ, & S. Blaſio, in cujus Eccleſia requieſcit cum uxore *Mechilde* filia regis Angliæ, de quibus venit OTTO IV. Subjugavit Slaviam, Principem eorum *Niclod*, ſeu Nicolaum trucidando, & Epiſcopos

investiendo, Geroldum in Oldenborch / Everoldum in Rasseborg / Ernonem Magnipolitanum, qui translatus in Swerin. Destruxit etiam urbem Demin. Iste etiam ad instinctum Imperatoris, uxore priore demissa, duxit filiam Regis Angliæ, Iste quidem Henricus devotionis causa perrexit Jerusalem, habens secum in Comitatu Episcopos Lubecensem & Wormatiensem, Abbatem *Brunsvik*, Pribislaum Regem Slavorum, Comitem de Swerin / Comitem de Blanckenborg / cum aliis ad mille armatos. Cumque venisset *VVigennam*, occurrit ei Henricus Dux Austriæ, vitricus ejus, qui similiter multis assumtis per Danubium secum perrexit per regnum Ungariæ Hierosolymam. Quos Imperator Constantinopolitanus solemniter acceptavit, mutuo magnis muneribus propinatis. Obtulit igitur Henricus Dux Saxoniæ sepulchro Domini pecuniam multam, faciens basilicam Domini intus auro vestiri; ordinavit reditus annuos ad lumina templi: dedit Templariis mille marcas argenti & arma plurima. Hunc Henricum cum omnibus suis invitavit Rex Jerusalem per triduum, & Patriarcha per octiduum. Inde per terram Turcorum regrediens, à Soldano solemnitur est susceptus, qui etiam dixit *se consanguineum ejus*, dans ei dona plurima cum tot equis, quot erant personæ. Et præter hos dedit specialiter Duci Henrico XXX. cabellos fortissimos, cum frenis argenteis & sellis eburneis, cum sex camelis onera gerentibus pretiosa. Insuper concessit illis D. milites viæ ductores. Inde reverso eodem Henrico, quorundam æmulorum suggestione tanta facta est Cæsaris supradicti & multorum Principum contra eundem Henricum discordia, quod Cæsar Ducem destituit, & *Ottoni* Palatino terram contulit. Unde mutuo diu bellantes, Henricus cum suis Thuringiam præliis & incendiis vastans, Northusen & Molhusen civitates imperiales igne consumsit. Similiter

Halber-

Halverstad/&civitatem opulentissimam, nomine tunc Bardewyk/ juxta quem locum nunc est Lüneborg/destruxit. *Versus:*

Dux post M. post C. post septuaginta novemq;,
Bardwyck *destruxit Simonis sol quando reluxit.*

Tunc destructa sunt castra Hartesborch / Horneborch/ Lechtenberg & Haldesleve/ quod sub mersione absque certaminis congressione captum est. Vallum enim exstruentes, præterfluentes aquas congregaverunt. Tunc & multa millia hominum Halverstadt igne perierunt, IX. Kal. Octobr. die Dominico, hora diei III. Tandem Henricus considerans Imperatori resisti non posse, pacem postulavit & accepit, se cum omnibus suis tradens Imperatori. Tunc consilio Principum Ducatu privatus, exilium subire jubetur, & Ducatus *Bernhardo* confirmatur, sicque circa festum S. Jacobi Henricus Dux ivit in exilium. Unde *Henricus Rosla:*

Magnifici Ducis unius reminiscitur inde
Acre rebellantis Auguste tibi Frederice,
A quo prærepta cecidit prætexta ducatus,

Iste Dux Henricus Leo genuit *Ottonem* IV. Imperatorem, unde T. E. *in poësi Ducum Brunsvic.*

Dux hic Hinricus virtutum totus amicus
Huic conthoralis fuerat de germine talis
Quondam Mechildis Anglorum filia regis
Christi Baptistæ, Blasio construxerat iste
Ex tunc egregiam funditus ecclesiam.
Ottonem quartum, tunc hac genuit sibi partum.

Tunc etiam *Philippus* Archiepiscopus Coloniensis, qui tribus annis litigavit contra Henricum, cum tribus millibus equitum & innumerabili numero peditum obtinuit ducatum Westfaliæ, & Angariæ, ut dicit *Jordanus*: & supradictus Imperator *Hermanno* Lantgravio Thuringiæ, contulit Comitatum Palatini

latini Saxoniæ in civitate Erford. Fridericus ergo, ut dictum est, decedens in Passagio, dereliquit tres filios; *Ottonem* qui secum ibi mansit: *Philippum* & *Henricum*, hîc Imperatores sequentes.

HENRICVS sextus, filius prædicti Imperatoris, qui duxit filiam Rogerii regis Siciliæ, nomine Constantiam, imperat annis VII. catholicus, strenuus & devotus, coronatus à Cælestino Papa, feria II. Paschæ. Subjugavit sibi Apuliam, Siciliam, Tusciam & Italiam, Tancredum Regem Siculorum cum matre, & Regem Epirotarum, cum multis, captivos duxit in Almaniam; & quia impeditus guerris non potuit perse interesse passagio Jerosolymitano, misit in subsidium terræ sanctæ exercitum magnum, cui præfecit *Conradum* Archiepiscopum Moguntinum, *Henricum* Ducem Saxoniæ, *Lippoldum* Ducem Austriæ & Carinthiæ, ac *Hermannum* Lantgravium, fratrem mariti S. Elisabeth. cum quibus erant Episcopi plurimi, ut Pataviensis, Ratisponensis, Eistetensis & cæteri. Qui veniens ad terram sanctam multa profecerunt, in quorum etiam manibus Rex Armeniæ præstitit homagium Imperatori Henrico, & ab eo regnum Armeniæ accepit in feudum. Idem Henricus, postquam imperio plurima recuperavit in Apulia, veneno in hostia sacra intoxicatur per quondam Siculum in castello *Boncovent* diœceseos Senonensis. De hoc T. E.

Fulserat electus Henricus postea sextus
Hic & magnifici fuerat natus Friderici.

PHILIPPUS Dux Sueviæ, frater Henrici VI, filius Friderici I. ab aliquibus electus, imperavit annos X. ab aliis vero electus fuit filius *Henrici* Ducis Saxonum OTTO IV. & imperavit annos XX. simulque regnabant. Innocentius Papa favit Ottoni, quem fecit Aquisgrani coronari. Ei etiam adhæserunt Richardus Rex Angliæ avunculus suus, Archiepiscopus

ſcopus Colonienſis, Comes Flandrenſis. Rex autem Francorum Philippus adhæſit Philippo, ut per eum reſiſtere poſſet Anglorum Regi. Tunc Adolphus Colonienſis Archiepiſcopus relicto Ottone adhæſit Philippo, propter quod à civibus ſuis ejectus, à muribus eſt devoratus; & Bruno de mandato Apoſtolico ſubſtitutus. Hermannus etiam Lantgravius Thuringiæ prius Ottoni, juramento conſtrictus, à quo etiam villas regias Northuſen / Molhuſen & Salveit / in deditionem accepit, relicto Ottone adhæſit Philippo, ab eodem *Horlan* & *Ranitz* caſtra in homagium accipiendo. Unde orta diſcordia inter dictos Imperatores, Philippus Brunſwik obſedit, Argentinam deinde & totam Alſatiam populavit, Thuringiam vaſtavit & Goſlariam cepit. Idem Occarum Ducem Bohemiæ regem fecit; qui rex factus, deſerens ſuum regificatorem, tradidit eum Ottoni, qui & ipſum manu Comitis Palatini Ottonis interfecit Bambergæ, anno Domini 1208. die S. Albani. Unde ſurrexit proverbium: *Non eſt fides in Bohemo.* Otto igitur caſtra Lantgravii vaſtavit, Saltza & Friborch / & cætera expugnavit. Inde Apuliam intrans potenter ſubjugavit. *Walckenrede* novum monaſterium fundatur; antiquum enim diu præfuit. Goſlariæ novum monaſterium fundatur. Vredelſe cœperunt virgines dominari, canonicis regularibus excluſis. Bohemi cum magno exercitu vaſtaverunt Thuringiam usque Salveld / & anno ſequenti redeuntes, à Philippo territi, redierunt in ſua. S. Eliſabeth naſcitur. Cujus anno ſequenti mater, regina Hungariæ, à quodam Petro Comite jugulatur; qui & ſequenti nocte in ultionem ſceleris cum aliis decollatur. Illi Petro ſcripſit Epiſcopus de Gran in Ungaria literas, verbis amphibolicis: *Iſtam reginam occidere nolite. Timere bonum eſt. Si omnes conſentiunt, ego non contradico.* Eccleſia cathedralis S. Mauritii Magdeborg incendio fulguris conſumta eſt.

ta est. *Johannes* Comes eligitur in Regem Jerosolymitanum, qui duxit filiam Conradi Regis in uxorem apud Tyrum. *Helinandus* historicus, dictus *Guihelmus de Conchis*, vir religiosus & facundia disertus, multa composuit, præcipue Chronica ab initio mundi usque ad tempus præsens. Conradus Archiepiscopus Maguntinus obit. Sifridus succedit MCCVI. Conradus Episcopus Wurtzeburgensis occiditur. *T. Langi de E.*

De Brunswik natus fuerat rex Otto vocatus,
Imperium plenis rexit annis duodenis.
Servivit Christo mundo dum vixit in isto.
Castrum fundabat quod Harlingberg nominabat.
Iste coronatus vermibus esca datus
Quorsum portatus in Brunsvic est tumulatus.

Idem *Otto* carens prole, fratrem habuit *Henricum*, de quo versus ut:

Hujus germanus Henricus corpore sanus,
Sponsam de Reno duxit loculo subamæno,
Quæ binas natas genuit Dominis societas.
Primaq; Ducissa Bavarorum, Marchionissa
De Baden reliqua, tali Domino fit amica.
Vendiderant illa, pro marcis bis duo mille:
In duperatori Brunswik *ut superiori.* Idem *T. E.*

Wilhelmus, tertius frater Ottonis IV. duxit *Helenam*, filiam Regis Danorum, de qua genuit *Ottonem* de Lüneborch. Iste Otto partem hæreditatis suæ, & partem patrui sui, quam filiæ suæ Friderico II. vendiderant, reunitam, jure feudali recepit ad eodem *Friderico II.* Imperatore, & sic Ducatus Brunsvickensis factus fuit Imperii. Iste Otto Lüneborch cepit Brunswik anno Domini 1227. Idem duxit *Mechildem* filiam Alberti Marchionis de Brandenborch / de qua genuit quatuor filios & filias VI. Primus fuit *Albertus*, secundus *Johannes*; isti duo diviserunt Brunswik & Lüneborch. Tertius fuit *Otto* Hildesemensis

mensis, & quartus *Conradus* Verdensis, Episcopi. Prima filia nupsit Imperatori, Wilhelmo Hollandiensi, quorum nuptiæ fuerunt Brunswik, & per negligentiam domus nuptialis, vix illis evadentibus, igne consumta est. Secunda Ducem Saxoniæ, Tertia nupsit Lantgravio Thuringiæ: quarta Duci Rugianorum, quinta Principi de Anchalt; sexta Landgravio Hassiæ. *Versus* T. E.

Wilhelmus dictorum qui germanus Dominorum,
Virtutum plenam Danorum duxit Helenam,
Ottonem puerum qua genuit ipsi procerum.
Hic expugnabat Brunswik *opidum superabat,*
Lectori dico, quod & hic tamen â Friderico
Obtinuitq; statum terræ, Brunsvicq; Ducatum.
Mechild uxorem duxit, servans ita morem,
Factaq; Ducissa Brandenborch Marchionissa.
Hæc tunc Albertum genuit virtute refertum.
Postea magnatem generat simulatq; Johannem
Hi diviserunt terras, quas tunc habuerunt
Ex hinc Ottonem, qui potitus est honorem.
Hildensem meruit, tunc non sine gloria stetit.
Postea Conradum genuit clarum sibi natum.
Tecum sit Christe Verdensis Episcopus iste.
Sex genuit natas etiam Dominis sociatas
Prima Romanorum, sed altera Saxonicorum
Terna Thuringorum, tunc quartaq; Rugianorum.
Ex Anahalt quinta, sexta tunc Hassianorum.

FRIDERICUS II. filius *Henrici* VI. ex Constantia filia Rogerii & nepos *Frederici* I. dictus de Staufenborch/ imperavit annis XXIV. in Almania, & prius imperavit annis XXIII. in Apulia & superioribus regnis, statim post patrem suum. Iste ergo fuit Germanus origine, & Italus conversatione, vere

 catho-

catholicus pius providus: de quo sunt hæc *metra* per quendam Italicum facta.

Si probitas, sensus, virtutes, gloria, census,
Nobilitas orti possent resistere morti,
Non foret extinctus Fridericus, qui jacet intus.

Ipse leges optimas pro libertate Ecclesiæ contra hæreticos edidit. Istum coronavit *Honorius* III. qui & eum postmodum excommunicavit. Ipse duxit filiam Regis Antiochiæ, dum morabatur in partibus illis, ubi tandem veneno peremtus est. Contra eum per Papas substituti & procurati sunt Imperatores sequentes usque ad Richardum, quos tamen Alemanni sibi adhærentes non tenuerunt pro regibus. Ipse reliquit multos filios: *Henricum* fecit Regem Almaniæ, sed periit in flumine prope Capuam: *Fridericum* fecit Regem Tuscorum, qui obiit apud Florentiam; *Ericum* Regem Lumbardorum, *Manfredum* Principem Apuliæ, qui condidit *Manfredoniam* in Calabria, & *Conradum*, quem fecit Ducem Suevorum, de quo infra statim. Hoc ergo Frederico mortuo, ignorantibus Alamannis, vacabat imperium multis annis. Post quos senex quidam in civitate Nuß finxit se esse Fredericum, ad quem multi nobiles confluxerunt; Quos omnes noscens propriis nominibus suscipiebat. Qui cum ad tempus regnasset, tandem à Coloniensibus crematus est. Ex hoc fama venit Fredericum adhuc vivere in castro confusionis. Ordo Carmelitarum cœpit, qui dicuntur cœpisse tempore Machabæorum cum pallio Heliæ. Claustrum in *Frankenhusen* fundatur, & in *Northusen* monialibus exclusis, Canonici eorum capellani successerunt apud S. Crucem. Passagium magnum factum est in quo fuit Fredericus Imperator, & secum Lodowicus maritus S. Elisabeth, qui & obiit ibidem in Apulia: item Rex Ungariæ, Rex Cypri, Dux Bavariæ & alii nobiles multi cum

popu

populo innumerabili. Recuperavit ergo Imperator quasi totam terram sanctam, coronatus in Jerusalem die sancto Paschali. Cum autem regnum Siciliæ potentior intraret triplici diademate insignitus, multipliciter per Papas diffamatur quasi invasor patrimonii Ecclesiæ: & crevit odium in tantum, ut Imperator inde discedens terram istam dereliquerit in manibus inimicorum. Et eo recedente, inter Christianos ibi manentes filia diaboli discordia, regina inferni potentissima, subintravit cum sororibus suis, crapula, luxuria, & superbia in tantum, quod cum uni parti placeret pugna, displiceret alteri: Sicque bellum intestinum destruxit regnum in tantum, ut post Fredericum à nullo posset plenarie recuperari. Soldanus enim Babyloniæ Jerusalem cum terra iterum capit, occiditque ibi ad M. Christianos.

CONRADUS quartus, filius *Frederici* secundi, Rex Jerusalem & Siciliæ, natus ex *Isabella* filia *Johannis* Regis Jerusalem, de partibus Lothringiæ oriundi; adolescens miræ probitatis & strenuitatis, conditor civitatis *Aquilegiæ*, quam valde privilegiavit, imperans XII. annis post patrem, in Apulia coronatus, cum terram sanctam conaretur recuperare, anno primo introitus sui à medicis intoxicatus, interiit veneno Capuæ, sepultus juxta patrem, anno Domini MCCLVIII. Quo mortuo ejus frater, princeps Tarentinus, dictus *Manfredus*, pugnans contra Karolum vasallum Imperii, quem Papa Innocentius constituit Regem Siciliæ contra Conradum, in Calabria morte mulctatus est. *Conradus* igitur adolescens spectabilis, filius & hæres prædicti Conradi quarti, infeliciter pugnando cum dicto Karolo, bello victus, per ipsum cum multis magnatibus decollatur, anno Domini MCCLXVI. in loco, ubi nunc est Ecclesia Carmelitarum, quod mater ejus-

dem Conradi fundavit ibidem. Et sic ista *sublimis Domus Ducum* SVEVORVM, AB OTTONIBUS SAXONIBUS *descendentium, defecit in suo salutari.* Hoc autem totum imputatur Papis, qui sibi regna Jerusalem, Siciliæ & Trinacriæ usurpantes, prædictum Karolum, Ducem Andegavensem constituerunt regem Siciliæ: quorum unus fuit *Innocentius*, qui multum nocuit innocenti Conradino, alter *Alexander* IV. tertius *Vrbanus* IV. qui nimis fuit in urbanus eidem Conradino: & *Clemens* IV. non clementiam, sed inclementiam operatus in illos; ut scripsit idem *Conradinus* in Epistola, quam mundo dereliquit.

IMPE.

III.

IMPERATORVM
EX CELSISSIMA SERENISSIMORUM DUCUM BRUNSWICENSIVM DOMO ORIVNDORVM VITÆ,

AVCTORE

JOHANNE CRAWS Juniore, Presbytero in Motznig inferiore

RATISPONENSIS DIOECESEOS.

IMPERATORVM,
EX CELSISSIMA SERENISSIMORVM DVCVM BRVNSVICENSIVM DOMO ORIVNDORVM VITÆ
AVCTORE JOHANNE CRAWS.

HENRICUS primus de Brunswik / filius *Ottonis*, Ducis Saxoniæ, anno Domini 920. regnavit annos XVIII. Iste *Henricus* fuit filius sororis ultimi regis de genere Karolorum, & senex princeps, & Dux *Saxoniæ, Noricæ, Bavariæ, Austriæ, Karinthiæ* & *Stiriæ*. Unde cum principes elegissent eum in Imperatorem, venientes reperierunt ipsum aves cum retibus capientem. Qui oblatum sibi imperium renuit acceptare, dicens: *Sufficiunt mihi ampla bona mea*. Et dum persuasionibus principum non præberet assensum, juravit, quod corona Imperialis nunquam capiti suo superponeretur: unde principes ipsum ad curiam citantes, per tres annos sustinuit excommunicationem. Tandem sub forma juris absolutus, dum allegaret juramentum, quod fecit, tulit Papa sententiam diffinitivam, quod susciperet imperium gubernandum, atque corona imperialis capiti suo non imponeretur, sed tantum baculus ante eum portaretur. Iste Henricus ex eventu cognominatus *Auceps*, ex eo, quod in aucupio invenerunt eum Electores. Ipse quoque in Saxonia exercitum Ungarorum totaliter delevit, & duos reges convertens, Christianos fecit, scilicet Normannorum vel Norwegiorum, & Abotritarum sive Succiorum.

OTTO

OTTO primus, vocatus *Magnus*, anno Domini 938. regnavit annis xxxv. filius *Henrici* ſupradicti. Iſti oppoſuit ſe rex *Francorum*, volens ſibi imperium uſurpare, quaſi ad ſe devolutum ex paterna ſucceſſione; quia de genere fuit Carolorum & linea transverſali, & maſculino ſexu: Otto vero de eadem ſtirpe, ſed feminino ſexu. Civitas itaque *Argentinenſis* contra Ottonem adhæſit regi Francorum, & plures Germani Principes & Barones ab eo diſpendiati. Sed ſtrenuus *Otto* Cæſar *Argentinam* potenter obſedit, quam quotidie rex Franciæ eripere promiſit, ſed Ottoni reſiſtere non valens, Argentinis auxilio non venit. Otto igitur Argentinam deſtruens, muros in quatuor partibus dividens, deridens vocavit civitatem alio nomine Straßburg/quæ prius vocabatur Silberthal. Poſt hæc obſedit caſtrum Eberſtain ſitum ante Nigram ſilvam, per duos annos & dimidium. Tandem reconciliati ſunt, & Dominus Eberſtainii in uxorem duxit filiam Ottonis. Hic Otto ſtatuit, ut ſemper in curia Cæſaris eſſet ſtudium Juris civilis, atque filii nobilium adſcriberentur ad curiam Imperatoris, ut leges ſtuderent. Contigit autem, ut Imperator in die Paſchæ principibus Romæ congregatis convivium ſolenne præparaſſet, & dum ſecundum conſuetudinem Cæſaris menſa tota bono ferculo ornaretur, tunc Princeps adveniens omne alimentum ſuper menſam poſitum tollere juſſit & pauperibus largiri, & pòſt menſa Imperatore ſedente denuo præparabatur. Et factum eſt ut filius Ducis Sueviæ tolleret fruſtum placentæ, quod vulgo dicitur Fladenſtück: quem dapifer videns percuſſit cum baculo, quem manu portabat, ſuper caput, quod ſanguis de vulnere fluxit. Quod cernens *Henricus* de *Kempten* miles ſtrenuus, cujus regimini commiſſus erat adoleſcens, occidit continuo dapiferum. At Imperator adveniens, antequam ſederet ad menſam, vehementer iratus, juſſit occidi Henricum

L guber-

gubernatorem pueri. Ille vero rogavit dilationem propter diei festi solemnitatem, sed Cæsar noluit, timens juramentum violare. Videns *Henricus* quod Cæsar nollet eum exaudire, apprehendit Cæsarem cum barba, dejecit eum ad terram, & barba fortiter evulsa, cœpit eum fortiter strangulare. Quem rex assecurans, cum vix esset liberatus ab eo, se culpabilem reddidit, eo quod festum inhonorasset: & Henrici audaciam laudavit, libere eum abire permisit, ita quod faciem ejus non videret, & tamen in curia manens, adolescentis sibi commissi curam gereret. Contigit autem post hoc, ut *Berngarius* quartus Italiam premeret, quem Otto potenter obsedit in quadam civitate sibi adhærente. Et dum per totam æstatem obsidione locum vallasset, illi una vice de civitate turmatim exeuntes cum vexillis, irruere volentes in exercitum Cæsaris. Quos Henricus prædictus in dolio balneans, qui proximior civitati tentorium suum fixerat, primus omnium ut vidit, de balneo nudus exilivit, & apprehensa lancea cum scuto, id est Setzschilt / clamare cœpit, hie Römisch Reich; & nudus viam hostibus præclusit, donec exercitus Cæsaris se ad resistendum præparavit. Admirans itaque Imperator dixit: *quisnam est, qui nudus ita viriliter egit?* Et cum comperisset, jussit eum vocari, & deosculans exaltavit ipsum, & magnum Dominum fecit. Anno regni Ottonis primo, Ungari Alamaniam, Gallias & Burgundiam vastantes, per Italiam reversi sunt in Pannoniam. Anno XIX. Ungari totam Bavariam vastantes apud Augustam ab Ottone victi sunt IV. Idus Augusti, sicut S. Udalricus prophetavit; in quo conflictu Chunradus Dux Sueviæ, & Diepoldus frater S. Udalrici occisi sunt. Rex vero Ungariæ & Bulgariæ & alii Principes suspensi sunt Ratisbonæ in patibulis, anno Domini 445. Anno Ottonis XXVI. Otto Imperator efficitur, & ex tunc usque nunc soli Teutonici imperium tenue-

tenuerunt. A tempore enim Ludovici III. quem Berengarius captum excœcaverat, quatuor Berengarii & unus Lotharius regnaverunt. Cum autem Berngarius quartus Italiam premeret, Otto in auxilium vocatus cepit eum & in Bavariam in auxilium relegavit usque ad obitum. Adelhaidem Lotharii relictam, quam Berngarius iniquus in vinculis tenuerat, duxit Otto in uxorem, de qua genuit filium regem, & nominis successorem. Ista Adelhaidis fundavit cœnobium in *Solse* Ordinis S. Benedicti, in diœcesi Argentinensi & ibi sepulta & canonizata. Anno regni sui XXXVIII. Imperii vero XIX. Otto Magnus obiit sepultus in Maidburg ad S. Mauritium. Qualiter aliquoties Romam venerit, & quam potenter Papas deposuerit, require de Pontificibus pro tunc.

OTTO II. anno Domini 973. regnavit annis IX. Hic pro eo, quod Italici sæpe pacem violaverant, Romam quasi pacificus venit, & ad gradus Ecclesiæ S. Petri magnatibus, Cardinalibus, & cunctis proceribus, convivium magnum fecit, quos epulantes cinxit, armatis, & de violata pace Cancellarius querimoniam movens nomine Cæsaris, & reos in litera recitatos omnes in mensa occidit, alios vero gaudentes epulari fecit atque præcepit: Qui omnes timore suspensi lætitiam simulabant. Et ob hoc cognominatus est *Sanguinarius*. Hic contra Agarenos & Wandalos cum Romanis, Teutonicis, Gallicis, & Longobardis in Calabriam procedens, Romanis & Beneventanis terga vertentibus, totum suum exercitum pene amisit, & solus in navi à Græcis sub forma militis est receptus. Quibus Græce loquentibus, quod eum vellent in Constantinopolin ducere, dissimulavit se intelligere. Et invocans S. Petrum, finxit se thesaurum effodere velle. Nautis ergo eum ad littus tendentibus, venit quidam Episcopus cum multis armatis, & Ottonem liberans nautas occidit. Lætus igitur ad imperium rediens, sed paulo post Romæ languens, obiit, & ibidem sepultus.

OTTO filius Ottonis prædicti anno Domini 982. regnavit annos XIX. Hic cognominatur mirabilia mundi, & quia liberos non habuit, constitutionem perpetuè duraturam dedit, ut Principes septem eligant Imperatorem Alemaniæ in oppido Franckfurt secundum Mogum fluvium, quem in sua conscientia magis idoneum judicaverint, ad regendum rempublicam quemcunque voluerint, qui à Papa consecrari debet in Imperatorem Romanorum. Sunt autem Principes septem quibus electio competit ratione juris & ratione approbatæ consuetudinis, ipsis, inquam, & successoribus eorundem: *Tres* sacri Imperii *Archicancellarii*, quorum in eligendo primam vocem habet *Maguntinus*, secundam *Treverensis*, tertiam *Coloniensis*. Quatuor autem Principes Electores laici hoc ordine eligunt. Est enim primus *Palatinus Rheni*; post hunc *Dux Saxoniæ*, post *Marchio Brandeburgensis*, ultimo *Rex Bohemiæ*, qui fuit Dux, quando electio facienda fuit instituta. Horum septem Electorum ministeria his versibus declarantur.

Hi Maguntinus, Treverensis, Coloniensis,
Quilibet imperii fit Cancellarius Archi,
Inde Palatinus Dapifer, Dux portitor ensis
Marchio præpositus Cameræ, Pincerna Bohemus,
Hi faciunt regem, servant hoc ordine legem.
Atq; creant Dominum cunctis per secula summum.

Obiit autem Otto x. Kal. Febr. cujus intestina in Augustam posita sunt, corpus autem ipsius Aquisgrani sepultum est, ubi ipse ossa S. Karoli invenit.

HENRICUS II. cognomento *Claudus & Sanctus*, anno Domini 1001. regnavit annos XXIII. Hic Dux Bavariæ fuit & cogentibus principibus, duxit S. *Kunegundem*, filiam Palatini Rheni. Virgines tamen ambo permanserunt, & ambo san-

bus sancti in vitâ, & post mortem magnis & multis miraculis coruscabant. Hujus pater fuit *Berzilo* Dux Bavariæ, & frater suus *Brinio* Episcopus Augustensis; duas habens sorores, quarum utraque *Gysela* vocabatur, de quibus senior nupsit Duci Sueviæ; juniorem vero Gyselam Stephano regi Hungariæ dans in uxorem, ipsum & gentem ejus convertit ad fidem. Eo tempore S. Adelbertus Bragensis Episcopus, regem Ungariæ Stephanum prædictum, priusquam Gyselam duceret, baptisavit: & post hæc à paganis septies in confessione immutabilis, inter crudelia supplicia fidelis permanens, ultimo capite truncatus ab aquila triduo custoditus est. Fuit illis temporibus in Maguntia Archiepiscopus nomine *Willichinus*, totus Pontifex humilis, cujus pater rusticus currus & bigas facere solebat. Hic igitur Episcopus ad parietes sui oratorii rotas suspendit, & juxta rotas causam humilitatis sic scripsit: *Willigk, Williking*, **gedenck wan du kommen seyst.** Clavem hujus cameræ sui oratorii solus Episcopus semper servabat, ut nulli pateret ingressus; unde omnes thesaurum ibi positum esse putabant, quem tali diligentia, celabat. Donec Imperator Henricus semel ingressus fuit, & intromissus vidit rotas & scripturam. Unde ob hoc exordium sumsit, quod in vexillo Archiepiscopi Maguntini duæ rotæ aratri sunt depictæ. Henricus Imperator, Dei cultor, anno regni sui sexto fundavit Episcopatum Babenbergensem, ubi primum Episcopum fecit Eberhardum: dein sanctum Ottonem. Dotavit autem dictum Episcopatum pure de suo patrimonio. Anno XIII. Romæ Imperator constitutus, disposuit Bohemiam & Sclavorum magnam partem, qui adhuc pagani erant, expugnare. Cum autem exercitum suum perceptione Dominici corporis & sanguinis munivisset, veniens ad locum certaminis, vidit corporeis oculis hos sanctos, Laurentium, Gregorium &

Adrianum præcedere suum exercitum, cum crucis Christi vexillo, & angelum Dei percutientem cœcitate adversarios. Sicque absque sanguinis effusione hostes territi sunt, & pacati, colla jugæ fidei submittentes. Ita totam Apuliam, Pannoniam, Ungariam, Romanis subjecit. Cœpit autem infirmitate calculi graviter laborare; cui pernoctanti in monte Cassino coram altari S. Benedicti, multum dolenti sanctus apparens calculum ferro excidit, eumque in manu Imperatoris posuit, & locum sanavit. Calculus ille adhuc suspensus est coram altari in memoriam tanti miraculi. Contigit semel, ut in Ecclesia S. Mariæ Majoris Romæ, (ut sibi moris fuit semper prima nocte in Ecclesia manere solitarius, quocunque devenerit) perseveraret. Et ecce, Christus pontificalibus indutus processit missam celebraturus; quem sequebatur Levita Laurentius, & loco subdiaconi Vincentius. Hos virgo Dei genetrix cum multitudine virginum & angelorum; deinde Johannes Baptista cum Patriarchis & Prophetis, & post hos Petrus & Johannes cum cæteris Apostolis & Evangelistis. Stephanus cum martyribus; Martinus cum confessoribus. Duobus igitur angelis incipientibus introitum: *Suscipimus Deus misericordiam tuam:* omnes extenderunt digitos ad Christum. Sed dum cantaretur finis illius, scilicet: *Justitia plena est dextera tua;* Christus, beata Virgo, & omnes Angeli & Sancti, verterunt se ad Henricum, in angulo Ecclesiæ devote auscultantem, digitos extendentes in eum. Peracto vero officio usque post Evangelium, cum indicibili jubilatione, angelus accepto libro Evangelium præbuit, primum ad osculandum Christo, dein B. Virgini, & post omnibus per ordinem. Tunc B. Virgo annuit angelo, ut porrigeretur etiam liber Imperatori ad osculandum, dicens: *Præbe ei osculum pacis, qui sicut placuit; mihi virginitatis perpetuæ ornamentum servavit.* Porrigente

rigente ergo angelo Cæsari librum ad osculandum, non advertit, quia in visione tantæ solemnitatis fuit raptus. Tunc angelus ipsum in nervo tangens, fecit eum claudum, sicut Patriarcham Jacob, dicens: *Hoc tibi sit signum dilectionis; qua te Deus diligit, propter tuam castitatem & justitiam.* Ex hinc igitur usque ad mortem claudicavit, & ob hoc ex eventu vocatur *Henricus Claudus.* Cum autem Henricus in castro dicto Grün/ decumbens carnis debitum exsolveret, jussit ut corpus ejus ad sepeliendum in *Babenberg* duceretur.

CHUNRADUS II. primus Dux *Franconiæ*, dictus *Salicus*, à quo dicitur in legibus *lex Salica*, anno domini 1025 regnavit annos XXIV. Hic primus Imperatorum sepultus est in *Spira*, statuens ut omnes Romanorum reges & Cæsares, in ultramontanis partibus morientes, ibi debeant sepeliri. Hic in provinciis pacem servare volens, statuit, *ut quicunque pacem infringeret, capite truncaretur.* Cujus edicti violator, Comes *Leopoldus*, aliis *Dyelpoldus*, de *Calbe*, timens sævitiam *Cæsaris* fugit in *Nigram silvam*, non longe ab oppido & castro suo Calwe/ cum modica familia & uxore, juxta quoddam molendinum, ubi modo exstructum est monasterium Ordinis S. Benedicti, quod vocatur Kressaw. Quo dum quodam die causa venationis Imperator à familiis suis aberrans ad pernoctandum divertisset, comes clam, ne eum videret, fugit, & comitissam in puerperio jacentem, Imperator putans eam esse rusticam, & molitoris conjugem. Puero vero vagiente in cuna, Imperator dormire non valuit, utpote cubans non super plumis, sed ramis abietum. Et ecce, in ipsa nocte de cœlo ad Imperatorem facta est vox, ita dicens: *Scias Chunrade, quod hic puer gener tuus erit & hæres.* Qui territus, eo quod homines rusticos esse putaverat, mane autem ad familiam egressus, duobus armigeris, magis sibi familiaribus, sub juramento sibi præstito præ-

to præcepit, ut puerum occiderent, raptum à matre, & cor ipsius afferrent. Illi ergo puerum rapientes, cum eis dulciter arrideret, abhorruerunt ipsum occidere, & cor leporis, quem casu apprehenderunt, Imperatori offerentes, puerum super truncum arboris posuerunt. Hermannus vero Sueviæ Dux ibi transiens, puerum vagientem reperit, & ipsum sterili uxori suæ clam attulit, præcipiens ut diligenter puerum illum educatum, à se esse genitum simularet. Factus ergo adolescens, supra modum à Duce & Ducissa diligebatur. Adveniens igitur Imperator ad Palatium Ducis, scilicet Ravenspurgk, adolescentem tam venustum admirans, suis omnino voluit aspectibus semper astare, ipso Duce & Ducissa, prout poterant renitentibus. Sed Imperator timens, ne forte puer esset, quem ipse occidi mandaverat, scripsit de Mediolano per eundem juvenem literas, manu propria Imperatrici, Aquisgrani moranti, in hunc modum: *In quantum est cara tibi vita tua, mox ut literas istas receperis, puerum hunc necabis.* Qui iter arripiens, & in domo Decani Spirensis Ecclesiæ, viri literati hospitatus, dormiente fortiter, hospes curiositate ductus sigillo salvo literas de escario pueri dormientis claviculo aperiens, legit. & scelus abhorrens, ubi scriptum erat, *hunc puerum necabis*, delevit & scripsit, *Filiam meam in uxorem sibi dabis*: quod & factum est. Imperator hoc audiens, furore repletus, festinus de Mediolano veniens Aquisgranum, post aspera convitia Imperatrici irrogata, ob hoc quod mandatum suum non fuerat executa, veritate comperta, visis literis suis, in quibus sic scriptum erat, prout res gesta erat, stupescens, & uxori placatus, cognito finaliter à Duce Sweviæ & Ducissa amita Cæsaris, & ab armigeris, qualiter ab exordio circa pueri negligentiam & educationem res orta fuerat: dixit Imperator: *Video, quod Domini ordinationi resistere nemo potest.* Hic Henricus post

post soceri sui obitum imperii gubernacula propter insignia probitatis, strenuitatis & virtuositatis suscepit. Claustrum Hirsaw in loco nativitatis suæ construxit. Conradus vero armiductor, qui per Decanum Ecclesiæ Spirensis de effusione innocentis sanguinis fuerat præpeditus per literæ variationem, statuit, *ut Imperatores decreto in Spira sepeliantur*: & basilicam illam vetustam in honorem S. Stephani Papæ & martyris constructam funditus destruxit & innovavit, à fundamentis incipiens ædificare Ecclesiam in eodem loco, in honorem S. Dei genetricis Mariæ, & secundario in honore S. Stephani Papæ & martyris. Quam structuram ipse morte præventus non poterat consummare; compleverunt totaliter cum diligentia sui successores, etiam ibidem sepulti.

HENRICUS III. gener Chunradi supradicti, Pius cognominatus, anno Domini 1049. regnavit annos XVIII. Hic omne histrionum genus de curia sua abjiciens, omnia donativa, joculatoribus dari consueta, pauperibus elargiri mandat. Vngaris & Bohemis, nondum plene domitis, omnino forti manu superatis, & ad plenum jugo fidei omnibus barbaris nationibus subjectis, ad synodum venit *Maguntiam*, ubi debita cunctis dimisit, destructis etiam undique discordiis omnibus & inimicitiis inter nobiles & ignobiles, ubi in regno pacem firmat hactenus inauditam. Deinde *Agnem*, Pictavi Principis filiam, in *Ingelnhaim*, aliis *Egelnhaim*, regalibus nuptiis sibi copulavit, ubi infinitam joculatorum multitudinem sine cibo ac potu ac muneribus depulit vacuam manentem: Et loco illorum misit undique cum literis suis magnatibus pauperes, ut amore Dei, & sui reverentia, singuli darent pauperibus munera, quæ in nuptiis dari solebant joculatoribus, histrionibus & vagis. Eo tempore floruit *Hermannus Contractus* Teutonicus, nobilissimi Comitis de *Bering* filius, alias de *Haimyegnn*,

gen, qui tractatus pulcherrimos, & tractatum *Astrolabii*, multaque utilia mirifice compilavit: & *Chronicam Novi Testamenti*, ex qua ego ibi valde nobilia quædam introduxi. Item sequentiam: *Ave praclara*; *O gloriosum lumen*; *Simon Barjona*; & historiam de *annuntiatione B. Virginis*. Huic B. Virgo, cum in cœnobio S. Galli studeret, & esset durissimi ingenii, opinionem dedit sanitatis & mundanæ prosperitatis; aut scientiarum omnium cum plenitudine infusionem, & totius corporis, præterquam linguæ, contractionem. Qui elegit scientiæ perfectionem cum corporis contractione, & continuo repletus fluvio sacrarum scripturarum, & in toto corpore eadem hora contractus est factus. Eo tempore recessit Ecclesia Orientalis ab obedientia Ecclesiæ Romanæ, & Græci sibi Papam elegerunt, anno Domini 1048, alii, 1049. & fatentur nos omnes excœcatos esse, eo quod credimus S. Spiritum procedere à filio, sicut à patre; quem ipsi tamen à patre, & non à filio procedere credunt: & quia in baptismo & missa non servamus formam Græcorum. Anno imperii sui XVII. Henricus ab omnibus petita venia, & restitutis omnibus, quæ abstulit, & omnibus injuriis relaxatis, filium suum Henricum X. annorum, electione Principum Regem constituit Romanorum, præsente Papa *Victore*, Spiræ obiit & ibidem sepultus III. Non. Octobris.

HENRICUS IV. puer decem annorum, anno Domini 1066. regnavit annos XLVIIII. cujus mater *Agnes* diu rempublicam loco filii strenue gubernabat, & cum exercitu copioso vicit Ducem Sweviæ *Fridericum*, in Germania contra Imperium se erigentem. Factus ergo XX. annorum, *Henricus* se contra Ecclesiam opposuit, & ideo Papa mandavit Principibus Electoribus. ut alium eligerent in Imperatorem, eo quod Henricus sententias excommunicationis contra se latas conte-

contemneret. Qui in *Vorcheim* congregati, elegerunt in regem Romanorum *Rudolfum*, Ducem Saxoniæ, contra *Henricum* Imperatorem: cui etiam Papa misit coronam auream gemmis ornatam, in qua scriptus fuerat versus ille:

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolfo.

Istum *Rudolfum Gregorius* VII. Papa contra *Henricum*, nec confessum nec convictum fovit. Ideo *Henricus* Imperator strenuus & imperterritus *Rudolfum aggressus* superavit, & fugavit. Dein curiam in *Brixia* convocavit, ubi *Swidbertum* Episcopum Ravennensem in Papam eligi procuravit. *Rudolfus* vero anno 1077. rex constitutus à Principibus, confirmatur & coronatur à Papa, de cujus progenie post annos cc, alius rex ejusdem nominis de Habspurg electus est. *Henricus* quartus XLVIII. imperii sui obiit in *Leodio*, ibidem primo sepultus. Sed Papa posuit interdictum, quod quamdiu non absolveretur, exhumatus staret, quia in excommunicatione obiit. Vnde exhumatus *Spiram* ductus est, & in capella S. Afræ martyris à latere Ecclesiæ majoris sita, sursum positum est corpus ejus in feretro per VII. annos, donec Henricus V. filius suus procurat ipsum absolvi; tunc sepultus fuit juxta patrem suum & avum.

HENRICUS V. Henrici prædicti filius, anno Domini 1114. regnavit annos XIV. Hic dolose Papæ contra patrem suum confœderatus, imperium patre captivato adeptus est; & oppidum *Nurnberg* obsedit & funditus destruxit. Ideo Deus eum sine hærede mori permisit. Sed patre de captivitate liberato, multæ civitates imperiales adhæserunt contra filium. Tunc *Wischardus* & *Rupertus* Francigenæ nobiles Barones de sanguine regali, bello vicerunt successive duos Imperatores Constantinopolitanos. Eo tempore S. *Rupertus*, monachus ordinis S. Benedicti, incepit ordinem *Cistercieusem*, quem post

xv. annos intravit S. Bernhardus. Anno Domini 1126, ordo *Præmonstratensis* incepit, auctore domino *Gotfrido,* Comite de *Baren,* cooperante S. *Norperto* nepote S. *Bernhardi*, in monte ab angelo sibi præmonstrato. Idem *Norpertus* multis miraculis coruscans, à Papa postea sublimatus est in Archiepiscopum Magdeburgensem. Anno Domini 1127. Henricus Imperator obiit in *Spira* sepultus juxta sepulchrum patris, avi & atavi sui, in quorum Epitaphiis scriptus est versus iste:

Filius hic, parte hic, atavus jacet istic.

Iste *Henricus* quintus sine hærede obiit, & translatum fuit imperium tunc ad *Duces Suevorum*: quorum primus, scilicet *Conradus* III. fuit filius Henrici, quem tunc præcessit in regno, Papa favente, *Lotharius* Dux Saxoniæ.

LOTHARIUS quartus Dux *Saxoniæ*, anno Domini 1127. regnavit annos XI. cum quo in lite electus fuit Dux *Sueviæ Chunradus*, nepos ex sorore prædicti Henrici. Sed Papa favente Lotharius prævaluit, & cum Chunrado post graves disceptationes reconciliatus fuit. Fuit autem Lotharius princeps catholicus & fidelis Ecclesiæ advocatus. Hic filiam suam dedit in uxorem *Henrico* Duci *Bavariæ*, qui cognomine vocabatur *Superbus*, habens fratrem juniorem virum bellicosum, qui vocabatur *Welfo*, de quo, ut post patebit, ortum habuit in Italia & Longobardia, ut Papæ faventes, dicerentur Welff / & faventes imperio Gybeling. Anno Domini 1134. Lotharius Cæsar adhuc cum Chunrado nondum reconciliatus, Sweviam vastavit, & Ulmam obsedit. Eo tempore *Rugerus*, & *Wilhelmus* frater suus, duces *Normanniæ*, audientes discordiam inter *Lotharium* & *Chunradum*, intraverunt *Siciliam* manu potenti, & obtinuerunt eam. Veniens autem *Innocentius* II. cum copioso exercitu, volens *Rugerum*

gerum de terra fugare. Sed occurrens *Rugerus* ipsum Papam cepit & honeste obtinuit. Unde Papa *Lothario* annuente se per talem modum liberavit à captivitate, quod regnum Siciliæ, quod imperio à longis temporibus incorruptum fuerat, sic ut regnum Longobardiæ, in feudum perpetuum ipsi Rugero & suis hæredibus concessit. Unde Papa usque nunc *regnum Siciliæ* scribit in literis suis esse S. *Petri patrimonium speciale*, quod Chunradus, & sui successores Romani reges & Cæsares, nunquam ratum voluerunt habere.

CHUNRADUS tertius, Frater *Hermanni* Ducis Swevorum, anno Domini 1138. regnavit annos XV. sed ad imperium non ascendit. Huic per aliquot annos se opposuit Papa, impediens ne ad imperium ascenderet, ne manu potenti Siciliam recuperaret. Unde stipendiavit Ducem Bavariæ *Henricum* Superbum, generum *Lotharij* Cæsaris prædicti, & juniorem Ducem *Welfonem*, fratrem Henrici Superbi, ut vexarent fortiter *Chunradum* regem in Almania, ne posset se ad partes Italiæ & Siciliæ aptare. *Henricus* ergo Dux, habens in sua potestate insignia regalia reservata, & à *Lothorio* socero sibi commissa, noluit ea regi resignare. Cui Papa & *Rugerus* invasor Siciliæ magnum exercitum Italicorum, Gallorum & Siciliorum ad pugnandum contra Chunradum miserunt. At *Fridericus* Chunradi filius se contra *VVelfonem* juniorem Ducem ad bellandum præparavit, quia *Henricus Superbus* senex defectus pugnare non potuit. Congressi ergo à præliandum, *Fridericus* Dux Sueviæ, ex parte *Chunradi* patris sui, & è contrario *VVelfo* ex parte *Henrici*, prope cœnobium Grußheim in provincia Rhetiæ, victoriam gloriosam obtinuit *Fridericus*, multis interfectis de exercitu Welfonis: ipse vero *VVelfo* vix cum paucis effugit. Qui secunda-

 rio se

rio se contra Fridericum ad præliandum prope Weinspergl juxta villam, quæ dicitur Elshofen/ præparavit, ubi *VVelfo* interfectus fuit, & cum eo multi cum exercitu suo, paucis evadentibus per fugam. Clamor vero adhortationis ad resistendum & fortiter dimicandum in exercitu Welfonis fuit iste; Hie Welff; unde Fridericus ad confusionem Welfonis, præcepit clamare in suo exercitu, hie Gybeling: quia in illa villa nutrix illum infantulum lactaverat. Quasi per hoc significare volens, quod non regali potentia patris sui, nec per ducatus Sweviæ præminentiam vellet Welfonem debellare, sed lacte nutricis suæ, i. e. potentia rusticali, sicut & fecit. Italici autem & Gallici & Longobardi, non intelligentes, quid esset hie Welff / & hie Gybeling fecerunt sibi exponi. Quibus declaratum fuit, quod *Papales* significarentur per Welff/ & *Imperiales* per Gybeling: unde usque huc per totum orbem ab illo eventu adhærentes Papæ dicuntur Welff / & imperio adhærentes Gybeling. Post hæc *Chunradus* Rex abstulit ducatum *Bavariæ Henrico Superbo*, & contulit *Ludowico* de Schœyrn / liberæ conditionis militi: qui auxilio regis *Henricum* uxores & liberos fugavit. Eo tempore *Turci Iherusalem* & totam terram sanctam obtinuerunt; unde Papa compulsus, S. *Bernhardum* Abbatem Clarevallensem pro reformanda pace inter sedem Apostolicam & Regem *Chunradum*, in legatione misit Alemanniam. Quæ reconciliatio in *Spira* facta est, & in Franckfurt sigillis Principum roborata. Tunc rex *Chunradus* à S. *Bernhardo* apud *Francfurt* cum multis principibus cruce signatus, & de *Lotharingia Flandria* & *Anglia* fortissimis pugnatoribus adunatis, *Iconium* venit, ubi *Ludowicus* rex Franciæ per *Hungariam* ad eum venit. Sed Græci calcem farinæ miscentes

magnum

magnum fecerunt exercitui detrimentum. Post multam vero stragem exercitus propter corruptum aërem & cibum, in die divisionis Apostolorum *Jerusalem* recuperantes, tot infideles occiderunt, quod usque ad talos in sanguine occisorum ambulaverunt. Ordinato ergo in terra sancta rege *VVadelino*, qui in idiomate Gallico & Teutonico eruditus fuit, & inter discordes, qui ad custodiendam terram sanctam relicti erant, pacem & concordiam frequenter fecerat, tandem reversi sunt *Chunradus* & *Ludwicus* reges in patriam suam prospere. Eo tempore *ordo Templariorum* & *Hospitaliorum S. Johannis Baptistæ* incepit in Jerusalem.

FRIDERICUS primus, filius *Hermanni* Ducis Sweviæ anno Domini 1154. regnavit annos XXXVII. Hic fuit largus, strenuus, facundus & in omnibus gloriosus. Hunc *Adrianus* Papa quartus coronavit in Ecclesia in S. Petri Romæ cum magna solemnitate: sed cum vellet reverti ad castra, Romani sequentem familiam apud portam S. Angli hostiliter invaserunt, & usque ad Imperatoris tentorium persequuntur. Sed Teutonici clamantes Romanos cædunt, captivant & repellunt. Anno Domini MCLXII. *Fridericus* subvertit *Mediolanum*. Trium quoque magorum corpora apud S. Eustorium, ubi nunc est habitatio fratrum Prædicatorum, recondita, dedit *Reinoldo* Episcopo Coloniensi, quæ olim de Perside in Constantinopolim translata fuerunt, & inde à S. Eustorio Mediolanum vecta sunt. Tunc ortum habuit proverbium Longobardis confusibile; *Tene sic*. Cum enim Imperator in Italiam pergeret, reliquit in *Mediolano* Imperatricem, quam una pars civium, qui erant *VVelfini*, cum domicellis suis super asinos sedere compellens, caudis asinorum pro frenis ipsis datis in manus, de civitate usque ad

Cumam

Cumam expulerunt. Quod cum intellexisset Imperator, civitatem obsedit; quam obtentam ædificiis spoliatis, SS. reliquias ibi inventas inter principes & prælatos divisit; reos majestatis læsæ ante portam civitatis compulit ficum sugere de posterioribus asinorum, ad hoc ibidem locatorum. Ab hoc eventu ortum est illud proverbium: *Tene sic.* Tunc tres lunæ in cœlo visæ sunt, & postmodum tres soles; per quæ significabatur gravis discordia Cardinalium in electione Papæ, & Principum in electione Regis, futuri Imperatoris. Mortuo igitur *Adriano* Papa, tres simul in discordia electi fuerunt, quorum unus potenter papatum obtinuit auxilio Imperatoris: Ideo *Alexander* unus ex illis in Franciam fugit. Quem persequens Imperator cum Dacis & Bohemis, regem Franciæ bello aggressus, nihil perfecit. Schisma autem hoc XVIII. annis duravit. Tunc Teutonici, qui in Tuscano per Imperatorem morabantur, Romanos invaserunt, & ab hora nona usque ad vesperam tot occiderunt, ut Epitaphium eorum contineat: *Mille decem decies, & sex decies quoque seni.* Tandem Fridericus Imperator Alexandro Papæ reconciliatus, pro emenda transfretavit mare, & post multas victorias in parvo fluvio Armeniæ balneatus ad refrigerandum corpus, cunctis videntibus est submersus, & in *Tyro* sepultus. Filius quoque ipsius nomine *Fridericus*, Dux Svveviæ, in obsidione *Ptolemaidis*, & multi nobiles secum de Francia & Anglia, horribili pestilentia perierunt. Tempore Friderici primi ducatus Bohemiæ fit Regnum, & Marchia orientalis Ducatus.

HENRICUS sextus Friderici primi filius, anno Domini 1191. regnavit annos VIII. Hic vivente patre cum semel in *Erfordia* maneret, multi Comites & Barones, ruptis

ptis

ptis trabibus in cloacam cadentes VIII. ex eis in luto submersis, ipse cum aliis evasit. Anno tertio *Henricus* contra Apuliam movens, exercitum perdidit fere totum. Ast secundo aggrediens Apuliam, totam obtinuit multosque captivos in Alamanniam duxit: Regem Epirotarum, & Tancretum Regis Siciliæ filium, cum matre sua Margareta in exilium in Alamanniam destinavit. Anno Domini 1199. Henricus Cæsar interiit veneno in Spira sepultus. Nunc in eligendo principes facti sunt discordes. Quidam enim ex eis elegerunt *Ottonem* Ducem Saxoniæ; cujus electionem *Innocentius* III. Papa approbavit, electionem vero *Philippi* ab altera parte electi ex causis rationabilibus improbavit. Hinc oritur schisma pro regno inter *Philippum* Ducem Sweviæ, & *Ottonem* Ducem de Brunswick. Anno 1200. Otto à legatis Papæ in regem ungitur Aquisgrani. Anno Domini 1201. apud Coloniam Philippus frater Henrici defuncti processit contra Ottonem quartum, partem ipsius Ottonis multum debilitans, eumque bello durissimo superavit. Anno Domini MCCVIII. Philippum dolose occidit Palatinus de Wittelspach apud quendam Præpositum majoris Ecclesiæ Herbipolensis quiescentem in camera in Babenberg, quia filiam suam quam in uxorem sibi tradiderat, antequam adeptus fuerat regnum, repudiavit, volens altius uxorare. Et insuper prædictum Palatinum de lepra apud Regem Bohemiæ infamarat, cujus filiam idem Palatinus ducere debuit in uxorem, quia viduus fuit. Quem tamen Palatinum amici Philippi statim occiderunt. Cui Philippo *Fridericus* filius fratris sui succedens, totam progeniem Palatini prædicti proscriptam fugat de Bavaria, qui undique vagantes usque ad mortem Friderici tunc se mansuros receperunt citra *Westraviam* ultra Rhenum: Et vocantur usque hodie die Wilden Graven.

OTTO quartus Dux de Brunswig anno Domini 1210. solus imperium adeptus regnavit annos IX. Hunc Papa *Innocentius* coronavit, & ab eo juramentum fidelitatis suscepit. Quod eodem die Otto infringens, Romipetas spoliavit. Ideo diem Papa eundem Ottonem usque ad mortem excommunicavit, eiq; *Fridericum* filium Henrici Imperatoris adversarium suscitavit. Iste *Otto* villas Eßling & *Rutling* civilibus libertatibus adornavit, quas postea Fridericus Imperator muris & fossis muniri constituit.

FRIDERICUS secundus, *Henrici sexti* filius, Rex Siciliæ & Apuliæ, hæres regni Jerusalem, Dominus Portus maris, Comes vel Princeps Provinciæ, & Dux Sueviæ anno Domini 1220. contra *Ottonem quartum* electus regnavit annos XXXIII. Hic divitiis & gloria super omnes prædecessores suos abundans, abusus est eis in superbiam. Nam in infantia per Ecclesiam, tanquam per matrem educatus, non ut matrem fovit, sed ut odiosam novercam, quantum potuit, laniavit. Primo enim bonus fuit & leges optimas pro libertate Ecclesiæ dedit, sed eam postea graviter afflixit. *Versus:*

Cæsar Fridericus primo bonus, hinc iniquus
Annis terdenis regnat tribus associatis
Post mille, duo CC, solo L. ruit ipse.

Eßling & Rutling muris cinxit, quæ prius fuerant villæ. Ideo convocato apud *Lugdunum* consilio Innocentius IV. Papa anno Domini MCCXLVIII. ipsum Fridericum imperiali dignitate & nomine spoliavit. Porro causæ depositionis ipsius principales in prædicto exprimuntur, videlicet istæ: *Perjurium, pacis & treugæ frequens violatio; duorum Cardinalium captivatio, multorum Prælatorum submersio.* Insuper

ſuper plures prælatos ab Eccleſiarum deſtituit regimine, cruces aureas, thuribula pretioſa, & alios pannos aurificatos. & ſacros Eccleſiarum Theſauros diripuit, clericos pro angariis afflixit. Qui non ſolum trahebantur ad judicia ſecularia, ſed etiam cogebantur ſubire duella, incarcerabantur, decollabantur, & in patibulis ſuſpendebantur. Papales ſententias ſe non curare aſſeruit. Nomen Machmet in templo Jeroſolymis in ſua præſentia venerari & proclamari permiſit, & familiaritate deteſtabili Sarracenis conjunctus, ipſos in cotidianis obſequiis tenuit. Poſſeſſiones Romanæ Eccleſiæ, ſcilicet Marchiam Anchonitanam, Ducatum Spoletanum, Beneventum in Apulia, in Ravenna Archiepiſcopatum, habentem XXIV. Epiſcopos ſuffraganeos, diruit, & alias civitates. Præterea iniquitatem in excelſo locutus, ponens in cœlo os ſuum. Dixit enim audiente Henrico Lantgravio Thuringiæ: *Tres ſeduxerunt totum mundum, Moſes Judæos, Jeſus Chriſtianos, & Machmet Sarracenos. Quamobrem ſi principes meis inſtitutionibus aſſentirentur, ego multo meliorem modum vivendi & credendi cunctis nationibus ordinarem.* Propter hæc, & his ſimilia, depoſitus Fridericus, cum *Parmam* obſidione cingeret, victus in Apuliam rediit & veneno extinctus, ſepultus eſt in *Singia*, anno Domini M. CCLII. in die S. Luciæ virginis, tam occulte. Quod multi per annos XL. vadiabant eum vivere, & venturum in proximo manu forti. *Chunradus quintus*, filius *Friderici*, rex, brevi tempore ſupervixit, & cum patre in *Singia* ſepultus. Quem *Chunradum* prope Franckfurt cum ſuo exercitu ignominioſe fugat *Henricus* Lantgravius Thuringiæ, in odium ipſius & patris ſui Friderici Imperatoris electus, in die S. Oswaldi cum ſuperat. Iſte *Chunradus* ſemel in Ratiſpona ad S.

Emeranum cum ſex armigeris eum cuſtodientibus dormiebat. Superveniens autem in noctis crepuſculo, vaſallus Epiſcopi, dictus de Hohenfels / occulte voluit regem occidere, cum his, qui in camera cum ipſo erant. Hoc intelligens quidam fidelis regis *Fridericus* de Ebenſchaim / præcurrens, ut rex ſe velociter abſconderet, perſuaſit. Ipſe vero ſe ſponte ad lectum regis, & occiſus eſt cum ſex armigeris, ſicque mortem evaſit rex, & in craſtino populo univerſo vivus eſt cum gaudio demonſtratus, quia cives metuebant eis imputari inſidioſam deperditionem. Non ponitur in numero Imperatorum propter adhæſionem patris in crimine deteſtabili. Nec conſenſu Principum Electorum, nec Papæ eſt electus, ſed ſeipſum potenter gerebat parvo tempore pro rege.

IIII. EORUN-

IIII.
EORVNDEM IMPERATORVM ET DVCVM BRUNSVCENSIUM.

XII.

Diplomata vetusta, veteris Saxoniæ historiam non parum illustrantia.

I.

Diplomata Henrici Aucupis Imp. Aug. quo Mechtildi uxori loca quædam donavit.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Henricus *divina favente clementia rex. Noverint omnes fideles nostri præsentes scilicet & futuri, qualiter divina misericordia dispensante sublimati in regnum, omnibus circumquaque de gentibus fidelibus æquo & justo moderamine præesse, & omnia Dei respectu regere cupiamus, placuit etiam nobis domum nostram Deo opitulante ordinaliter disponere. Quapropter legali moderatione astantibus fidelibus nostris, cum consensu & astipulatione filii nostri Ottonis, & Episcoporum procerumq; & comitum petitione, dulcissimæ conjugi nostræ* Mathildæ *potestativa manu tradimus & donamus quicquid propriæ hæreditatis in præsenti videmur habere in locis infra nominatis. Hæc enim sunt:* Quitilingaburg, Palithi, Northusa, Gronau, Duderstete, *cum civitatibus & omnibus ad prædicta loca pertinentibus, in jus proprium concessimus,*

ſimus, litis ſervis, mancipiis, utriusq; ſexus, ædificiis, terris cultis & incultis agris, pratis, campis, ſilvis, aquis, aquarumve decurſibus, molendinis, viis & inviis, exitibus & reditibus, quæſitis & inquirendis. Et ut cuncti cognoſcant, eo modo & ea ratione, ſi nobis ſuperſtes extiterit, & in ſancta viduitatis pudicitia permanſerit, prædicta loca ei concedenda tradimus, ut libera atq; ſecura poteſtate, cum omni quæſitu eiſdem locis invento, temporibus ſuis feliciter perfruatur: nec non etiam interiorem familiarum collegionem, intrinſecus famulantium, cum omni ſupellectili, cum equariciis ibidem inventis, poteſtati illius poßidenda perpetualiter prædeſtinamus. Et ut noſtræ donationis largitio firma ſtabilisq; permaneat, manu noſtra ſubtus firmavimus, & annulo noſtro ſigillari præcepimus.

Signum Domini Henrici, Sereniſſimi regis. | Henricus rex |

Simon *Notarius ad vicem* Hiltiberti *Archicapellani recognovi. Data XVI. Kal. Octobr. Anno Dominicæ incarnationis DCCCCXXVIIII. Indictione II. anno vero X.* Henrici *glorioſi regis regni. Actum in loco, qui dicitur* Quintilingaburg, *in Dei nomine feliciter. AMEN.*

Diplo-

II.


Diplomata Ottonis M. quo Ecclesiæ Quedlinburgensi donat bona quamplurima, simul ei Advocatum constituens.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Otto *divina favente clementia Rex. Noverint omnes fideles nostri, tam præsentes, quam etiam futuri, qualiter nos ob amorem Dei, omniumq; sanctorum, & pro remedio animæ nostræ, ac parentum successorumque nostrorum, congregationem Sanctimonialium in* Quidalingaburg *statuere curavimus, quatenus ibidem laus omnipotentis Dei, ejusq; electorum, ab ea in perpetuum colatur, & nostri nostrorumq; memoria perpetuetur. Et ut idem conventus illic certum famulatum obtineat, urbem in* Quidalingaburg *supra montem constructam, cum curtilibus cunctis ædificiis inibi constructis, & quicquid Clericis, in eodem loco Domino servientibus, prius concessum habuimus, & novam partem ex omni conlaboratu ejusdem curtis: similiter & in locis subnotatis,* Marseleno, Hamickesroda, Wihusen, Utislavo, Rudiburgi Hadeburgi, Bucolsteti, Holdehusi, Mabuga, Waldeslevo, Breiendorpe, Sal-

pe, Salberſe, Weſterhuſe; *nec non & totum, quicquid in locis ſic nuncupatis,* Rederi, Hebenrothe, Oerthun, *proprietatis huc usq; habere viſi ſumus, atq;* Querabeci *cum ſilva groſſiori, & territorio de eadem villa, exarato & inarato, familias Sclavanicas XV & totidem in* Calvo: *ac decimam partem in* Bodfelden & Sippenfelden, *ex omni venatione in* Lugelheim, *videlicet de vineis ad carradas X. Ex melle vero ſitulos majores XL. noſtræ majeſtati ſingulis annis perſolvendos, ad ejus victum & veſtitum perpetuo jure poſſidendum donavimus. Monaſterium itaque* Winethahuſum *nuncupatum, ſitum in pago* Harerhago, *in Comitia* Diethmari, *cum omnibus, quæ Sanctimoniales antea in ſuum habuerunt ſervitium, prædictæ congregationi in* Quidalingaburg *in proprietatem condonamus: & curtim* Salta, *ſitam in pago* Lainga, *in Comitato* Luidgeri, *cum univerſis ad eandem curtem jure pertinentibus, hoc eſt, familiis & mancipiis, curtibus & curtilibus ædificiis, cultis & incultis agris, pratis, campis, paſcuis, ſilvis, aquis, aquarumque decurſibus, molendinis, viis & inviis, exitibus & reditibus, quæſitis & inquirendis, mobilibus & immobilibus;*

bilibus; & *quicquid hæreditatis* erat Bardonis *Domino* & *genitori nostro sanctæ memoriæ* Henrico *serenissimo regi, cum præfato loco* Salta, *in proprietatem condonavit, ex integro illi in totum concessimus. Et si aliquis generationis nostræ in* Francia & Saxonia *regalem potestativa manu possideat sedem, in illius potestate sint ac defensione prænuncupatum monasterium* & *sanctimoniales inibi Domini servitio congregatæ. Si autem alter è populo eligatur Rex, ipse in eis suam regalem teneat potestatem, sicut in cæteris catervis, in obsequium Sanctæ Trinitatis simili modo congregatis. Nostræ namque cognationis, qui potentissimus sit, Advocatus habeatur* & *loci prædicti,* & *ejusdem catervæ. His ita peractis, ut liberam inter se eligendi Abbatissam habeat potestatem concessimus, ea videlicet ratione, ut nulli hominum unquam, nisi tantum nobis, nostrisque successoribus obtemperet, aut cuilibet Regum aut Episcoporum personæ aliquod servitium ab ea impendatur. Jussimus quoque hoc præceptum largitionis nostræ inde conscribi, firmiter præcipientes, quatenus eadem caterva de prælibatis rebus ab hodierna die ac deinceps*

ceps tali fruantur poteſtate, ſicut & cæteræ San-ctimoniales feminæ, quæ ſimili modo à regibus, ſeu cæteris fidelibus ad Domini ſervitium conſtrictæ videntur. Et ut hæc noſtræ conceſſionis autoritas à fidelibus noſtris verius credatur, ac per ſuccedentium temporum curricula diligentius obſervetur, manu propria noſtra ſubtus eam firmavimus, annulique impreſſione ſignari juſſimus.

Signum Domini Ottonis  Sereniſſimi Regis. *Adeloldus* Cancellarius ad vicem *Hildeberti Archicapellani.*

Data Idibus Septembris, Anno Dominicæ incarnationis DCCCCXXXVII. Ind. X. Anno vero Domini Ottonis invictiſſimi Regis I. Actum in Quidalingaburg, *in nomine Domini feliciter AMEN.*

III.

Ottonis Magni Imp. Aug. fundatio & donatio Monaſterii Poledani, in Ducatus Brunſvico-Grubenhagiaci præfectura Hertzbergenſi olim florentiſſimi.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Otto divina favente clementia Imperator Auguſtus. Omnium fidelium tam præſentium quam futuro-

rum piæ devotioni pateat, quod nos ob amorem regni æterni, nostrique imperii stabilitate, nec non sanitate nostra, ac dilectæ conjugis nostræ, & dilectissimæ sobolis, atque pro remedio animarum parentum nostrorum, in quodam loco nostro, Palithi *nominato, Abbatiam Monachorum in honorum S.* Johannis Baptistæ *sanctique confessoris* Servatii *constructam, consensu ac voluntate venerabilis* Hattonis, *Maguntinensis Ecclesiæ videlicet Archiepiscopi, fieri concessimus, ac nostra regia vel Imperiali munificentia stabilire decrevimus. Ad hujus ergo Abbatiæ præfatæ argumentum, & perpetuæ soliditatis firmitatem, tertiam partem curiæ nostræ* Palithi, *cum omnibus, ad hanc rite pertinentibus, eidem ecclesiæ in perpetuum perdurandum donamus; hoc est: areis, terris cultis & incultis, viis & inviis, exitibus & reditibus, quæsitis & inquirendis, agris, campis, pratis, pascuis, silvis, piscationibus, venationibus, molendinis, mobilibus & immobilibus, & in mancipiis utriusq; sexus, cunctisq; aliis rebus, quæ ad hæc aliquatenus dici vel accommodari possunt, ad eandem Abbatiam, & ad sustentationem Monachorum, in eadem Deo famulantium, nostra regia vel*

Impe-

Imperiali majestate integrè ac perpetualiter tradi-mus. Ad hæc vero supra dicta eandem supra dictam Ecclesiam per diversa loca augmentare & honorifice ditare devotissime curavimus, atque ab omni vexatione seu oppressione liberam permanere decernimus; Unde etiam Ecclesias & nova, ad eandem prædictam curiam rite pertinentes, cum prædiis & novalibus eidem Ecclesiæ assignavimus. Placuit vero nihilominus scripto nostro confirmare prædia vel reditus prædictæ Ecclesiæ, sive per nos, seu per alios quosque fideles collatos, in his scilicet locis: Schartfelde, Alvingenpunrod, Runigerod, Monickerod, Abbaterot, Rudesrot, Tuserot, Ammekerod, Watterod, Elvvingen, *cum omnibus ad hæc rite pertinentibus, silvis, pascuis, agris, piscationibus, sive aliis quibuscque commoditatibus, tertiam partem villæ* Palithi, *tertiam partem villæ* Berkeveld, *tertiam partem villæ* Hattorf, *tertiam partem* Bilßhusen / *in* Herste *Ecclesiam, & septem mansus, in* Lengede *sex mansus, in* Popsum *sex mansus, in* Grone *capellam regalem & quinque mansus, in* Gottingen *Ecclesiam & telonium & unum mansum in* Seborch / *unum mansum in* Westphalia, *in* Bra-

 kele

kele & Tunede, *decem mansus in* Drutmunde/ *duas curias in* Culisin, *unum mansum & quatuor vineas ad sacrificium altaris, in* Frisia *in* Wicfort, *in* Unevverde, *in* Colmerhorn, *viginti quatuor talenta, in* Frankenhusen *unum mansum & duas patellas, Hac omnia vel per nos vel per alios quosque fideles Palidensi Ecclesiæ tradita, ad stipendium fratrum regia vel imperiali munificentia corroboramus. Decimas sane per parochiam Palidensis Ecclesiæ, & per quædam nova alia ejusdem Ecclesiæ à monachis novellata, à venerabili* Hattone *Moguntinensi Archiepiscopo nostra admonitione & utili Moguntinensis Ecclesiæ recompensatione eidem prænominatæ Ecclesiæ irretractabiliter concessa, nihilominus sancimus. Statuimus autem, ut nullus comes, nullus miles, nullus judex, nulla prorsus persona, in præfata Ecclesia sive in ejus bonis exinde habeat potestatem exercendi quid velit, vel ejus bona quoquo modo injuste invadere, minuere vel alienare, sed omnia integra consistant, & ad eorum usus, quorum sustentationi tradita sunt, perpetualiter permaneant. Quod si quis arte aliqua sive dolo, sive violentia quæque bona prænominatæ Ecclesiæ*

clesiæ minuere præsumserit, anathema sit, & à regno Dei & consortio sanctæ Ecclesiæ nunc & semper segregatus; & sit portio ejus cum sathana & angelis ejus, usque in æternum. Fiat! Fiat! Ut autem hæc nostræ autoritatis traditio à cunctis fidelibus omni tempore stabilis, firma, & inconvulsa permaneat, hoc præceptum inde conscriptum, sigilli nostri impressione signari jussimus, manuque propria, ut infra videtur, corroboravimus. Signum Domini Ottonis invictissimi Imp. Aug. Datum XVI. Kal. Maji Anno Dominicæ incarnationis DCCCCLII. Anno regni Ottonis Magni XIX. Actum Palithi *feliciter. AMEN.*

IV.

Privilegium Ottonis II. Rom. regis, datum Canonicis familiæ Augustinianæ ad S. Wiperti Quedlinburgi, quibus postea Præmonstratenses successerunt.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Otto divina annuente clementia Rex. Noverint omnes nostri, præsentes videlicet & futuri, qualiter nos more regio de statu sanctæ Ecclesiæ corroborando tractantes, ob interventum Dominæ Mathildis *reginæ,*

reginæ, nostræ videlicet aviæ, Canonicis in Suburbio Castelli Quidelingeburg *manentibus, regalitatis nostræ privilegium donare decrevimus, ut liberam inter se Abbatem seu Primicerium eligendi habeant potestatem, sicut in cæteris Abbatiis regiæ dominationi subjectis. Prædia vero quæ prænominata venerabilis regina* Mathildis, *nostra videlicet avia, pro salute animæ suæ, vel parentum nostrorum, ad usum Canonicorum ibi Domino deservientium, eidem loco concessit, concedimus, &, ne ab aliquo ullam inde molestiam incurrant, volumus & firmiter jubemus. Et ut hoc autoritatis nostræ præceptum firmum & stabile permaneat, chartam hanc scribi, & annuli nostri impressione signari & muniri jussimus.*

Signum Domini Ottonis Sereniſſimi Regis.

Ludolphus *Cancellarius ad vicem* Wilhelmi *Archicapellani recognovi. Datum VI. Kal. Aug. Anno Dom. incarn. DCCCCLXIIII. Ind. VII. Anno vero regni serenissimi regis Ottonis junioris IV. Actum* Tærneburg *in Domino feliciter. AMEN.*

V. Do-

V.


Donatio aliquot bonorum ab eodem Ottone II. Cæſ. Aug. Sorori Mechtildi & Eccleſiæ Quedlinburgenſi facta.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Otto divina favente clementia Imp. Auguſtus. Cum totius boni operis perfectio in ſola caritate conſiſtat, caritas autem niſi per exhibitionem boni operis perſpicua & evidens eſſe non poteſt; inde notum eſſe cupimus, omnium fidelium noſtrorum tam præſentium quam & futurorum ſagacitati, quia nos divinam — ejusque benefacti præmeditantes recompenſationem, deinde pro piiſſimi genitoris noſtri Imp. Auguſti, cæterorumq; antecedentium parentum remedio animarum, nec non intimo ſororis noſtræ Mathahildis, *videlicet venerabilis Abbatiſſæ, amoris inſtigante ardore, quædam noſtræ proprietatis prædia, curtem videlicet* Deotfordi *in pago* Hardego, *& in Comitatu* Deommonis *Comitis* Broculſtedi *in eodem pago: in comitatu autem* Friderici *Comitis* Smahen *in pago* Haſſega, *in comitatu* Sigofridi *Comitis* Duderſtedi, *in comitatu* Bernhardi *Comitis*

 ſitum

situm, nostra imperiali potentia ad monasterium sanctimonialium in Quidilingeburg *in honorem* S. Servatii *Christi confessoris, supra rupis arcem, orientem versus eminentem divino constructum servitio, cui ipsa jam dicta soror nostra dilectissima, eo quod primum parentum nostrorum studioso effectu locus ipse erigi incepisset, præsulari dinoscitur, in perpetua usum porprietatis donavimus, firmiterq; nostro ex jure, in ejusdem jura Ecclesiæ transfudimus, cum utriusq; sexus mancipiis, ædificiis terris cultis & incultis, pascuis, silvis, aquis aquarumve decursibus, piscationibus, molendinis, mobilibus & immobilibus, viis & inviis, exitibus & reditibus, quæsitis & inquirendis, & cum omnibus eorundem legalibus justisque appertinentiis. Hoc itaq; tenore in toto humanæ inquietudinis motu compresso, hæc jam prælibata, eorumque appertinentiæ, ad idem monasterium perpetuo, nec non Abbatissæ consororibusque spiritualibus ibidem Deo famulantibus, tam in præsens, quam per totius temporis successiones inserviant. Et ut hæc nostræ donationis auctoritas cunctis sanctæ Dei Ecclesiæ filiis, nostrisque fidelibus melius credatur, ac diligentius perpetim observetur, hanc chartam inscribi jus-*

bi jussimus, & sigilli nostri impressione signatam, manu propria nostra subtus firmavimus.

Signum Domini Ottonis  Imperatoris Augusti.

Willigisus *Cancellarius, ad vicem* Rodberti *Archicapellani recognovi.*

Data III. Id. Maji. Anno Domin. incarnationis D*CCCCLXXIV. Indict. II. regni Domini* Ottonis *XIII. Imperii autem VII. Actum* Quidelingeburg *in Domino feliciter. AMEN.*

VI.

Diploma ejusdem Ottonis II. Imp. Rom. quo Ecclesiæ S. Mauritii in Magdeburg donat cœnobium Poledanum, una cum bonis nonnullis in Frisia.

IN *nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Otto, divina favente clementia Imp. Augustus. Noverint cuncti Christi fideles, præsentes atque futuri, qualiter nos divino amore contacti, carique genitoris nostri memoria commoniti, & dilectæ conjugis nostræ*

Theophaniæ precibus rogati, Abbatiam in honore S. Servatii *confessoris Christi, jam olim à nostris bonæ memoriæ parentibus in nostra proprietate* Palithi *constructam, cum omnibus utilitatibus ad eandem respicientibus, sancto* Mauritio, *&* *sanctæ* Magdeburgensi *Ecclesiæ* Archiepiscopis, *in perpetuum militaturis tradidimus, ea scilicet ratione, ut nullus Comes vel judex, aut qualibet excellens persona, ullum negotium exercere audeat in jam dicta Abbatia, sine præfatæ Ecclesiæ Archiepiscopi licentia. Et ut hæc charta nostræ traditionis firma, & absque omnium hominum læsione in futurum stabilis permaneat, nostri sigilli impreßione, & propriæ manus adnotatione, jussimus eam corroborari. Adhoc etiam prædium in* Frisia, *eidem Ecclesiæ per manus antecessorum meorum, pro salute animarum nostrarum traditum, signo etiam nostro atque testimonio confirmavimus. Hoc est: in* Witebord. *I. mansus XXXII. pascua boum, & V. talenta. In* Retzvvord. *I. virga. XL. solidos. in* Besllau, *una dimidia, XX solidos. In* Thunevverd. *XXX pascua boum, V. talenta In* Colimehornon, Hilderedes, Ziericon, *V. talenta. Quod si quis arte aliqua, sive dolo, seu etiam violentia abstulerit,*

stulerit, anathema sit; & à regno Dei, & consortio Ecclesiæ sanctæ, nunc & semper segregatus, & sit portio ejus cum satana & angelis ejus usque in æternum. Fiat! fiat.

Signum Domini Ottonis Imp. Augusti

Datum VIIII. Kal. Octobr. Anno Dominicæ incarnationis DCCCCLXXXI Indict. X. Anno vero regni secundi Ottonis XXI. Imperii autem XIV. Actum Luceriæ.

VII.

Fridericus Imp. donat Domino Henrico Leoni, Duci Bavariæ & Saxoniæ, Comitatum Vtonis, & forestum in montanis Hartz.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Fridericus divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus. Imperialem Celsitudinem condecet antecessorum suorum Regum & Imperatorum pia facta non solum inviolabiliter observare, sed etiam censuræ suæ auctoritate alacriter confirmare, ne prolixitas temporum posteris hæc reddat dubia vel incerta. Noverit igitur omnium Christi Imperiique nostri fidelium tam præsens ætas, quam successura posteritas, qualiter dilectißimus nepos noster Henri-

cus, *Dux* Bavariæ & Saxoniæ, *adiens majestatem nostram obtulit nobis privilegium prædecessoris & progenitoris nostri. divæ memoriæ* Conradi *Imperatoris, in quo continebatur, quod Comes quidam olim* Uto *nomine, prædium uxoris suæ* Beatricis, Hiordinge *nominatum, situm in pago* Hrittega, & *item aliud prædium suum,* Holtzhusen *nominatum, situm in pago* Hessiga, *in comitatu quondam* Wernerii *Comitis; cum omnibus pertinentiis suis, præfato Imperatori* Conrado *in proprium donaverit, & qualiter Imperator è contra præter multa prædia, quæ præfato Comiti* Utoni & *uxori ejus* Beatrici *jure concambii contulerat, quod plenius inibi est insertum, duo ejusdem Comitis* Utonis *beneficia, comitatum suum videlicet,* & forestum *in montanis, quæ dicuntur Hartz, sibi suæque uxori* Beatrici, *eorumque post se utriusque sexus hæredibus, in beneficium perpetualiter tradiderit & stabiliverit, eo videlicet tenore, ut quicunque suorum utriusque sexus hæredum, prædium illorum in loco, qui* Einbike *vocatur, obtineret, is quoque prædicta duo beneficia,* Forestum *videlicet* & Comitatum *prædicti Comitis* Utonis *in* Lisga, *tam à sua, quam ab omnium successorum suorum*

Regum

Regum & Imperatorum donatione, sine omni contradictione, jure beneficiali possidere deberet. Verum, quia supra nominatus nepos noster Henricus, *Dux Bavariæ & Saxoniæ, prætaxatum prædium in* Einbike *situm hæreditario jure nunc possidet, & à præfato Comite* Utone *& uxore ejus* Beatrice *consanguinitatis jure originem ducere perhibetur, ex Divi Patris & antecessoris nostri* Conradi *Imperatoris institutione, quæ tanquam divinum oraculum invariabilis & perennis stabilitatis meretur privilegium, Nos ejus vestigiis inhærentes, sæpe dicto Nepoti nostro* Henrico *Duci, hæredi videlicet Comitis* Utonis, Comitatum *suum &* Forestum *in montanis Hartz, lege in perpetuum valitura, in beneficio, concessimus, & omni corroborationis nostræ munimine confirmavimus; ut tam ipse, quam omnes utriusque sexus sui hæredes, eadem sæpe dicta beneficia,* Comitatum *videlicet &* Forestum *in montanis Hartz, perenni immutabilitate teneant & possideant. Quod ut verius credatur, & omni ævo inviolabiliter observetur, præsentem inde paginam conscribi, & aurea bulla nostra signari jussimus, adhibitis idoneis testibus, quorum nomina hæc sunt:*

Wickman-

Wickmannus *Magdeburgensis Archiepiscopus*, Hartvvicus *Bremensis Archiepiscopus*, Bruno *Hildesheimensis Episcopus*, Albertus *Marchio*, Fridericus *Dux Svevorum*, Dedericus *Marchio*, Fridericus *Palatinus Comes de Witelmesbach*, *& frater ejus* Otto *junior*, Fridericus *Palatinus Comes de Summerscheborg*, *Comes* Henricus *de Witin*, *Comes* Otto *de Rabensberch*, Florentius *Comes Hollandiæ*, *Comes* Bertolfus *de Andechse*, *Comes* Boppo *de Blankenburg*, *& filii sui* Conradus *&* Sigefridus, Ludolphus *de* Daſſele, *frater Cancellarii*, Marquardus *de* Grumbach, Lutardus *de* Meinersheim, Henricus de Wida, Lupoldus *de* Hirtzberg.

Signum Domini Friderici Romanorum Imperatoris invictiſſimi.

Ego Reinaldus *Cancellarius vice* Arnoldi *Maguntini Archiepiscopi & ArchiCancellarii recognovi.*

Datum Goslariæ *Kal. Januarii, Indictione VI. Anno Dominicæ incarnationis M CLVII. Regnante Domino* Friderico *Romanorum Imperatore glorioſiſſimo. Anno regni ejus ſexto, Imperii vero tertio.*

IIX.Impe-

XII.

Imperator Fridericus injungit Duci Henrico Leoni fundare Ecclesias ultra Albim; & concedit eidem investituram trium Episcopatuum, videlicet Oldenburc, Michelenburc, & Ratzeburc.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Fridericus divina favente clementia Romanorum Rex. Quia ad regiæ dignitatis apicem Dei gratia conscendimus, idcirco dignum est ipsius, à quo omnis est potestas, notitiam, honorem, cultum, ampliare, dilatare; ut sicut ab ejus gratia sunt omnia, ita ejus gloriæ serviant universa. Noverit ergo tam futurorum quam præsentium industria, qualiter nos dilecto nostro Henrico, Duci Saxoniæ *injunximus, ut in provincia ultra* Albim, *quam à nostra munificentia tenet, Episcopatus & Ecclesias, ad dilatandum Christiani nominis imperium, instituat, plantet, & ædificet; liberamque ei concessimus potestatem, ut Ecclesiis illis de bonis regni conferat, prout voluntas sua persuaserit & terrarum spatiositas permiserit. Cui negotio, ut studiosius & devotius insistat, ipsi & omnibus sibi in hac provincia successuris concedimus investituram trium Episcopatuum* Aldenburc, Michilenburc,

lenburc, Racezburc: *ut quicunque in locum Episcoporum ibidem subrogandi sunt, à manu ipsius, quod regii juris est, tanqnam à nostra recipiant. Id etiam adjungimus, quod si in provinciis circumquaque, in quibus nec dum Christiana religio tenetur, Episcopatus sua strenuitate fundare potuerit, in his eadem potestate fungatur. Et ut hæc nostræ concessionis autoritas stabilis & inconvulsa per successura temporum momenta permaneat, hanc chartam inde conscriptam manu propria, ut infra videtur, corroborantes, sigilli nostri impressione jussimus insigniri. Acta autem sunt hæc annuentibus regni Principibus his: Archiepiscopo Magdeburgense* Wichmanno, *Episcopo Hildenesheimense* Brunone, *Episcopo Fardense* Herimanno, *Episcopo Brandeburgense* Wichero, *Electo Cicense* Bertoldo, *Abbate Corbiense* Wickboldo, *Marchione* Conrado, *Marchione* Adelberto, *Palatino* Friderico, *provinciali Comite* Ludevvico.

IX.

Henricus Leo Dux Bavariæ & Saxoniæ constituit tres lampades in Ecclesia Dominicæ resurrectionis in Jerusalem anno 1172.

In

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & spiritus sancti, Amen. Notum sit omnibus tam præsentibus quam futuris sanctæ matris Ecclesiæ filiis, quod ego Henricus *per Dei gratiam* Bavariæ & Saxoniæ Dux, *misericordiæ instinctu tactus, pro remissione omnium peccatorum meorum & inclytæ uxoris meæ Ducissæ* Mathildis, *magnifici* Anglorum *Regis filiæ, & eorum, quos Deus misericordiæ suæ dono mihi dederit hæredum, nec non & totius generis mei, tres lampades perpetuo ad honorem Dei ardentes, in Dominicæ resurrectionis Ecclesia locavi, constitui & ordinavi: quarum lampadum una coram* glorioso *Domini sepulchro ardeat, altera vero in Calvariæ loco ante Dominicam passionem, tertia autem coram vivifico sanctæ Crucis ligno constituatur. Verum ad supplendum, & perpetuo hoc misericordiæ opus subministrandum, quingentis Bisantiis, domos* Michaelis Turbitoris, *muro Dominicæ resurrectionis Ecclesiæ contiguas, libero Domini Jerosolimorum Regis concessu emi, quæ domus annuatim viginti Bisantios censuales reddunt, unde oleum ad opus Lampadarum perpetuo ardentium emi debet, & tam Dominus Patriarcha, quam san-*

ctæ resurrectionis Ecclesiæ conventus, mihi fideli verbo promiserunt, quod de reditibus domus, prædictis tribus lampadibus oleum annuatim emetur, & die noctuque ardebunt. Et ut hoc inconcussum tam ab ipsis, quam à successoribus suis custodiatur & teneatur, sigilli Domini Patriarchæ & nostri, & nihilominus sanctæ Resurrectionis Ecclesiæ impressione hoc privilegium insigniri feci. Ego vero A. Dominicæ Resurrectionis Ecclesiæ Patriarcha, hoc misericordiæ opus approbavi, & laudavi, & si quis invidiæ filius in posterum illud cassare præsumserit, anathematis vinculo, donec resipuerit, ligatus teneatur. Cunctis vero hoc custodientibus sit pax & misericordia à Domino nostro Jesu Christo. Amen. Factum est hoc anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo septuagesimo secundo, præsidente venerabili A. Patriarcha in Patriarchali cathedra, & A. inclyto Latinorum rege quinto, in Jerusalem regnante. Hujus vero rei testes sunt, Dominus Patriarcha A & P. Dominicæ resurrectionis Ecclesiæ Prior, & ejusdem Ecclesiæ Subprior, & plures alii Canonici & Clerici. De hominibus autem meis: Comes Bonzelinus, *Comes* Sigebodo, *Comes* Helgerus,

Comes

Comes Rodolphus, *Comes* Bernhardus, Jordanus *Dapifer*, Jusarius *frater ejus*, *&* *plures alii.*

X.

Conventio Ottonis IV. Henrici Leonis Filii, Imperatoris, cum Theodorico Marchione Misniæ. Anno 1212.

HÆc est forma conventionis facta inter Dominum O. invictissimum Romanorum Imperatorem, *&* Thidericum *Marchionem Misenensem & Orientis. Prædictus Marchio Misniæ fide data promisit & juravit, quod abhinc, ut antea, Domino Imperatori assistet, & eum juvabit, specialiter contra Papam* Innocentium *in præsenti discordia, aut si alias eum injuste vellet gravare; & simili modo contra* Odagrium *Regem Bohemiæ, & H. Lantgravium Thuringiæ, & generaliter contra omnem hominem viventem, in omni necessitate sua; & quod nunquam eum deseret, & hæc omnia bona fide observabit, sine fraude & malo ingenio. Ut autem hæc conventio firmius observetur, pro eo & cum ipso, & de sua voluntate & mandato, similiter data*

fide promiserunt & juraverunt Nobiles & homines sui: Geverhardus *de Quernvorde Comes*, Burchardus *de Mannisfelt Comes*, Henricus *de* Schwartzberg *Comes*, Conradus *de Zana*, Henricus *de* Chorun, Burchardus *de* Glinde, Guntherus *de* Rochistet. *Et hoc idem data fide promittent & jurabunt alii Nobiles infeudati sui:* Hermannus *Advocatus de* Salik, Iohannes *de* Lubitz, Henricus *de* Schuditz, Dudo *de* Domo, Hermannus *de* Lobdiber, Erkinboldus *de* Vortzenveltz. *Hoc idem eodem modo fide data promiserunt & juraverunt* Albertus *Dapifer de* Birmere, Conradus *Pincerna*, Gotzvvinus *de* Branditz, Bodo *de* Ilber, Otto *de* Lichtinhagin. *Et hoc idem eodem modo jurabunt alii sui ministeriales, scilicet* Henricus *de* Chanberc, Conradus *de* Landisperc, Otto Advocatus *de* Ilber, Otto *de* Pouch, Henricus *de* Bladebach, Gekehardus & Henricus *fratres de* Crotzuc, Cunradus *de* Cleber. *Sub hac forma & conditione data fide promissum & juratum est, & ab his, qui nondum juraverunt, data fide promittetur, & jurabitur, ut si aliquo modo, quod absit, Marchio Misniæ, secundum quod promissum & juratum*

ratum est, non observaret, omnes intrabunt Brunisvvic, *& inde nunquam recedent sine Domini Imperatoris licentia & voluntate. Insuper ad majorem securitatem prædictæ conventionis observandæ, filios Ministerialium suorum tredecim, Marchio Misniæ Domino Imperatori pro obsidibus dabit, scilicet filium* Gevehardi *de* Zigibecke, *filium* Volemari *de* Chauberc, *filium* Bernhardi *de* Trebezin, *filium* Luitolphi *de domo* Grimme, *filium* Guntheri *de* Devvitz, *filium* Hagenonis *de* Doblin; *filium* Alberti Zitznick, *filium* Friderici Caratz *de* Donitz, *filium Pincernæ* Henrici, *filium* Friderici *de* Grotz, *filium* Godefridi Kiseling / *filium* Thitboldi *de* Nidecke. *Hæc autem conditio observabitur de obsidibus: quod si Marchio quemadmodum promissum & juratum est, quod absit, non observaverit, liberum habebit Dominus Imperator facultatem de ipsis faciendi, quod ei placuerit, & erunt in eo statu, qui vulgo* vergiselt *dicitur. Prædictos autem obsides, secundum dictas conditiones tenebit Dominus Imperator, à proximo Pascha usque ad biennium, & tunc ipsos Marchioni restituat, ita tamen, quod tunc patres obsidum, vel alii Ministeriales*

riales Marchionis aque idonei, & totidem numero promittent & jurabunt, secundum quod supradicti tam infeudati quam Ministeriales Marchionis promiserunt & juraverunt. Si vero aliquis denominatorum obsidum vel morte interveniente, vel aliquo casu alio, Domino Imperatori dari non posset, alius aque idoneus Domino Imperatori dabitur loco illius, omnibus aliis in suo vigore permanentibus. Ex alia parte Dominus Otto *Romanorum Imperator promisit fide data T. Marchioni Misnia, quod sibi bonus & propitius dominus abhinc in antea erit, & quod ei assistet, & eum juvabit contra omnem hominem in sua justitia & omni necessitate, & nunquam eum deseret. Et quod regnum Bohemia concedet Nepoti Marchionis* Voratizlai, *& ad obtinendum eum juvabit, & obtentum defendet Marchionem in omnibus & diligenter cooperantem, & hoc observabit bona fide & sine fraude & malo ingenio. Et hoc pro eo & de ejus voluntate & mandato promiserunt data fide, & juraverunt frater ejus H. Palatinus* Comes *Rheni*, Albertus *de Arnistein &* Gerhardus *Burggravius de Litznic*, Albertus *Burggravius de Aldenburg, Guntzel Dapifer*

fer, Henricus *de* Golditz, Henricus *de* Wida, Henricus *de* Drakinvels, Henricus *de* Crematzove, Hermannus *de* Schoneberg. *Sub hac autem conditione promissum est, & juratum, quod si forte, quod absit, ex parte Domini Imperatoris non observaretur convenientia, omnes isti qui juraverunt, civitatem* Misnam *intrabunt, nec inde recedent sine licentia Marchionis, excepto solo Dapifero, qui in hoc casu* Goslariam *intrabit, inde nunquam recessurus, sine voluntate & licentia Marchionis. Actum apud* Frankenfort, *anno Dominicæ incarnationis MCCXII. XIII. Kal. Aprilis Indict. XV.*

XI.

Forma Unionis inter eundem Ottonem Imperatorem, & Albertum Marchionem Brandenburgensem.

H*Æc est forma unionis, qua se Dominus* Otto *Romanorum Imperator, &* Albertus *Marchio Brandenburgensis, confœderando colligarunt. Imperator Marchioni data fide manu in manum, sicut Imperialis excellentiæ certitudinem decet*

facere, promisit se mediatorem studiosum & efficacem inter Regem Daciæ *& ipsum* Marchionem *&* Sclavos *existere. Si vero medium Marchioni competens non invenerit, promisit Regi* Daciæ *suisque fautoribus dedicere, &* Marchioni *contra ipsos, & contra omnem hominem, firmum & constans auxilium cum effectu portare. Econtra* Marchio *promisit Domino Imperatori in terminis sibi finitimis, præcipue in* Saxonia *&* Thuringia *contra omnem hominem ad conservandum ei imperium, quantum vires & facultates ipsius admittunt fideliter servire. Idem & viginti familiares Marchionis, quorum nomina subscripta sunt, sub forma subscripta juraverunt. Si Marchio promissum infregerit, Imperator ipsum super voti violatione conveniet. Accepta conventione, Marchio in præsentia Imperatoris, productis utrobique conscriptis, innocentiam suam probabit. Si in probatione defecerit, ab inde infra sex septimanas viginti sacramentales ipsius* Brunsvvick *intrabunt, & inde non exibunt, nisi per consensum Domini Imperatoris. Sine vinculis tamen & captivali custodia manebunt. Nomina Sacramentalium:* Henricus *Comes de*

de Swerin, Jachezo, Fridericus *de* Hasselle, Theodoricus *&* Henricus *fratres de* Osterborch, Burchardus *de* Cocstede, Albertus *de* Niendorp Gerhardus *de* Belitz, Yo *de* Giserslage, Albertus *de* Burnfelt, Rudengerus *de* Puilingen, Fridericus *de* Bouh, Arnoldus Sac, Conradus & Henricus *de* Saltvvedel. *Ut autem hæc forma rata teneatur & inconvulsa, placuit utrique, Imperatori scilicet & Marchioni, præsentem paginam, quæ pacti certum manet indicium, inde conscribi & appensione sigilli communiri. Acta sunt hæc anno Dominicæ incarnationis MCCXII. Indict. XV. apud* Wicense *in castris, his testibus præsentibus:* Adolpho *&* Ludolpho, *Comitibus de Dasela*, Bernhardo *de* Dorstad, Hermanno *&* Heinrico, *Comitibus de Hartesberge*.

XII.

Forma compositionis inter Ottonem Imp. & Ludovicum Ducum Bavariæ.

HÆc est forma compositionis, facta inter Dominum O. gloriosum Imperatorem Romanorum, & Dominum Ludovicum, *illustrem Ducem*

Bavariæ. Dominus L. Dux Bavariæ *primum data fide promisit, & postmodum sacramento juramenti firmavit, quod ipse omni tempore vitæ suæ bona fide & sine omni fraude serviat Domino Imperatori contra Papam & contra omnem hominem, nec aliqua unquam occasione emergente à servitio ejus recedet. Juraverunt etiam quidam, & adhuc alii jurabunt, pro eo duodecim subscripti Nobiles, quod si Dux Bavariæ, quod absit, aliquo modo contra promissionem suam veniret, seu ipsam infringeret, quod ipsi bona fide, & sine fraude, Dominum Imperatorem modis omnibus contra Ducem juvabunt, juxta mandatum suum. Sunt autem hi Nobiles*: Rapoto *Comes Pal. Bavariæ, Comes* Henricus *de Ortumborch, Comes de* Moseberc, *Comes* Kalholius, Henricus de Lapide, Chunradus de Harbach, *Comes* Eberhardus *de Dornborch*, Henricus de Raudeke, Lupus de Lenginvvelt, Alramus de Halse, Comes de Valar, *Comes* Sigbovv *de Niwenborch. Postmodum jam ad validiorem confirmationem facti juraverunt quidam, & adhuc jurabunt duodecim subscripti Ministeriales, quod si ipse Dux aliqua occasione*

pro-

promiſsionem facti violaret, quod ipſi commoniti, quindecim diebus ante in civitatem Auguſtam *intrabunt, nunquam inde ſine licentia Domini Imperatoris receſſuri. Sunt autem hi Miniſteriales:* Sifridus Koph, Otto Koph, Otto Vuitz, Henricus Vuitz, Conradus *Dapifer*, Otto *de* Rore, Bartoldus *de* Schiltberch, Arnoldus *de* Camera, Rudigerus *de* Sandicella, Eberhardus *de* Wittlinſpach, Everhardus *de* Curia, Henricus *de* Rüden. *Et ut etiam major de Duce, Domino Imperatori ſecuritas fiat, ipſe Dux XII. obſides ſubſcriptos dabit Domino Imperatori, qui à proximo feſto Paſcha ad duos annos in poteſtate erunt Domini Imperatoris, & tunc, ſi Dominus Dux promiſsionem factam Domino Imperatori bene ſervaverit, Dominus Imperator obſides illos liberos Duci reddet. Sed promiſsiones & juramenta ipſius Ducis & tam Nobilium quam Miniſterialium ſemper firma & inviolabilia permanebunt. Sunt autem hi obſides: Filius* Pincernæ, *filius* Hermanni Pedis, *filius* Bartholdi *de* Vravvenhoven, *filius* Henrici *de* Kranechesberch, *filius* Friderici *de* Brunovve,

novve, *filius* Garuigii *de* Bergen, *filius* Henrici Dimonis, *filius* Werneri *de* Burchausen, *filius* Grinani, *filius* Conradi *de* Vriuntsberch, *filius* Bertholdi *de* Suatbach, *filius* Grimoldi Bullenhusen. *E contrario Dominus Imperator data fide promisit, quod ipse semper Domino Duci pius & propitius erit Dominus, & in omnibus, quæ utilitatem & honorem ejus respicient, Dominus Imperator benigno vultu eum promovebit. Acta sunt autem hæc anno Domini MCCXII. apud* Franckenfort *XIII. Kal. Aprilis. Indictione XV.*

V. *Eo-*

V.

Eorundem ferme

IMPERATORUM,

AB HENRICO SCILICET AVCVPE AD HENRICVM QVINTVM,

RES PRÆCLARE GESTÆ;

Auctoris quidem incerti, sed qui sub hoc eodem Henrico vixit:

IN

COMPENDIVM VERO QVONDAM REDACTÆ

à

Monacho quondam Hamerslebiensi.

HEN-

HENRICUS Dux Saxoniæ, filius *Ottonis*, mortuo *Conrado* in Cæsarem eligitur, anno Domini 920. Regnavit annis XVII. Vocatur *Anceps*, imo *Venator*. Vxorem duxit *Machtildam*, filiam *Theoderici*; cujus fratres erant *Witikint* & *Immot*, & *Reginbern* qui Danos vicit, liberans patriam suam ab incursionibus Danorum usque ad hunc diem. *Machtildis* genuit ante regni susceptionem *Henrico* Duci filiam *Gerburgham*, quam dedit *Giselberto* Duci Belgicæ, & postea *Ludovico* Regi. Item aliam, quæ nupsit *Hugoni* Duci: *Ottonem*q; mundi amorem. Post regni susceptionem genuit *Henricum Grossum*. *Brunonem* etiam, qui Episcopus factus est Coloniensis per fratrem suum Ottonem, cum esset literatus. *Hinricus* Rex exaltat gentem suam, & omnes dignos. Providus fuit, decorus, agilis, acer in venatione, adeo ut una vice XL. vel plures caperet feras. Timebatur & amabatur ab omnibus. Perdomitis gentibus, Romam adire statuit. Sed infirmatus in villa *Hiemeleivia* obiit. *Ottonem*, licet ante regnum natum, regem designavit, quia maximus natu, & dignus imperio, ac religiosus. Cæteris filiis prædia cum thesauris distribuit. Obiit anno vitæ suæ LX. Domini 936. Corpus ejus transfertur per filios in *Quidelingaburch*, in basilica S. Petri ante altare cum planctu sepultum.

OTTO primus, *Henrici* filius, anno Domini DCCCCXXXVII. imperat annis XXXVIII. Electus apud *Aquisgranum*, ibidem per *Hildibertum* Moguntinum Episcopum inungitur, qui Fuldensis Monachus fuerat. *Danckmarus* frater Ottonis, non ex matre, sed ex alia, quæ fuerat matertera *Sigifridi*, satis ditatus, rebellat Ottoni cum *Eberhardo* Comite. Captivarunt *Henri-*

Hinricum fratrem Ottonis adhuc juvenem. Mala multa fecit Ottoni: ſed victus tandem fugit ad Eccleſiam armis depoſitis; ſtansque juxta altare, per quendam à tergo perfoſſus eſt. *Eberhardus* audita nece *Danckwardi*, petit veniam à ſuo captivo *Hinrico*. Nequiter obtinet, ut ſecum contra Ottonem pugnantes, Hinricus coronam ſibi imponeret, ſi fieri poſſet. Eberhardus etiam disjunxit à fidelitate Regis *Giſelbertum* Lotharingiæ Ducem, qui filiam habuit Hinrici in uxorem, ſororem Ottonis. Eberhardus regnum concupivit, ideo talia aliis propoſuit. Tandem Eberhardus in bello occiditur: Giſilbertus fugere volens in equo undis ſubmergitur. Cæteri omnes interfecti ſunt vel capti per exercitum. Quod audiens Otto, Deo gratias egit. *Ludewicus* Rex Galliæ audiens occiſum Giſelbertum, ingemuit; profectusque in Belgicam, relictam ejus *Gerburgam*, ſororem Ottonis, in conjugem duxit: pacemq; fecit cum Ottone Cæſare, quod Ludowico multum profuit. Gerburga genuit Ludewico filios, *Karolum* & *Lotharium*, qui ſucceſſit patri in regnum. Henricus autem frater Ottonis, deſtitutus auxilio & conſilio, aſſumtis quibusdam Epiſcopis interventoribus, pedes ad Ottonem venit; miſericordiamq; ſupplex imploravit: Cui Rex: *Indignum facinus tuum veniam non meretur. Verum quia video te humiliatum coram me, non inducam malum ſuper te.* Miſit eum *Ingellenheim* cuſtoditum. Poſtea conceſſis ei urbibus, permiſit eum habitare in Lotariorum regione. Tandem defuncto Duce Bojoariorum *Bertolfo*, præfecit eum regno illi, rogatu matris ſuæ *Matildis*, quæ obiit anno Domini *669*. Permanſit deinde Hinricus fidelis fratri usque ad mortem. Otto non contentus regno paterno, abiit in Burgundiam, Regemq; cum regno in ſuam accepit poteſtatem. Defuncto etiam Ottone, Lothariorum præſide, ac regis nepote Hinrico, Giſelberti filio, conceſſit

cessit ducatum regionis *Conrado*, cui & unicam filiam suam *Lutgardam* desponsavit, acri & bellicoso, omnibus charo, maxime *Ludolfo* filio regis Ottonis. Otto duxit uxorem *Edidam*, regis Anglorum, feminam religiosam; cum qua decem annis vixit. Genuit ei *Ludolfum* omni virtute conspicuum; *Lutgardim*, quæ nupsit Conrado Duci. Edith obiit VII. Kal. Febr. anno Domini 947. sepulta in *Magdeborch*. Saxoniam inhabitaverat ipsa annis XIX. Otto Rex Ludolfum filium tunc annorum XVI. designavit Regem, iturus in Galliam vindicare injuriam amico suo factam Ludewico. Hugo parvipendit, demandans, *quod tantam vim armorum haberet, quantam Otto nunquam vidisset*. Remandat sibi Otto, *tantam sibi fore multitudinem pileorum fœninorum, quos ei præsentari oporteret, quantam nec ipse, nec pater suus unquam vidisset*. Et revera cum magnus esset exercitus Ottonis, triginta scilicet & duarum legionum, non est inventus, qui fœnino non uteretur pileo Strohoed/ nisi abbas Corbejensis cum suis sequentibus. &c. Otto pergens Romam, duxit uxorem *Adelheydem*, relictam à *Lothario*, filio Hugonis, anno Domini 951. Papiæ. Hæc fuit filia *Rodulphi* Regis Burgundionum, qui etiam in Italia regnavit, & *Bertæ* reginæ, *Burcardi* Alemannorum Ducis filiæ, quam defuncto *Rodolpho* rex *Hugo* duxit, filiamq; ejus filio suo *Lothario* conjunxit. Adelheidis Imperatrix filios genuit Ottoni. Primus fuit *Hinricus*: Secundus *Bruno*: Tertius *Otto*, quem populus jam tunc sperabat Dominum; filiamque nomine *Adelheydim*. Ludolphus filiam *Hermanni* Ducis Suevorum unicam à patre utroq; traditam, duxit in conjugem, anno Domini 949. Paulo post obiit *Hermannus* ille Dux, & ducatus datur *Ludolpho* genero. Ducatus autem Bajoariæ anno Domini 947. defuncto *Bertolfo* Duce, qui frater fuit *Arnolfi* Ducis, datur *Hinrico* fratri *Ottonis* per ipsum,

quo-

quo anno obiit Edith. Ludolphus cum duxisset Pater ejus Otto aliam uxorem Alheydim, tristis discessit in Saxoniam à patre, qui Papiam sedem regni cum uxore suscepit. Rex celebratis Papiæ nuptiis in Saxoniam revertitur, peracturus ibi Pascha. *Berengarius* tyrannus, qui regnaverat in Longobardia & Alheydim afflixerat, persuasus à *Conrado* Duce & *Ludolpho*, venit in Germaniam, & subditus regi, gratiam obtinuit; & sic cum pace dimissus in Italiam rediit. Ludolphus autem filius Ottonis & Conradus gener rebellabant post hæc Regi Ottoni. Post prælia tandem patris provolutus pedibus, supplicans cum lacrymis, flexit patrem, & gratiam invenit. Conradus etiam gener regis in gratiam receptus: & ambo fideles permanserunt. Ungari demum bellum inferunt Hinrico & Ottoni, qui junctis octo legionibus ex Saxonum, Francorum & Bavarorum populis, occurrit & superat eos, præmisso tamen jejunio & orationibus, datis & acceptis juramentis invicem fidelitatis. Hinricus Dux, quia infirmus, non interfuit bello, sed duces ejus. Dux *Conradus* audax & bonus consilio fortiter pugnans, cum æstuaret nimium, solutis loricæ vinculis, dum auram captaret, sagitta occiditur. Corpus ejus cum luctu *Wormatiæ* sepelitur. Ungarorum tres nobiles capti suspenduntur: reliqui pene omnes occisi sunt, Otto cum triumpho reversus, *Pater Patriæ* ab exercitu, & Imperator nominatur gloriosus, 955. Anno 956. Ludolfus hostiliter Italiam intrat, & sequenti anno victo Adelberto moritur. Otto rogatu Papæ *Johannis* venit Romam 961. ibi inunctus ab eo, Berengarium captum duxit in *Babenberch*, ubi obiit, & sepultus est cum filio Adelberto. Anno Domini 964. Otto primus Romæ ad tempus manens, vocavit ad se filium suum *Ottonem*, qui ibi in natali Domini coronam à Papa suscepit. Missa legatione in *Constantinopolim* filiam Imperatoris, *Theophaniam* no-

mine inde accepit, quam filio celebratis in Italia nuptiis, junxit. Post hoc de Italia regressus, cum filio Galliam ingressus est, inde in Germaniam. Demum obiit, acceptis sacramentis devotissime, Nonis Maji, feria quarta ante Pentecosten. Anno Domini 974. Eodem anno obiit S. *Odalricus*, Episcopatus sui anno L. Corpus Ottonis transtulit filius Rex, & sepelivit in *Magdeburg* civitate, quam ipse construxerat.

OTTO secundus, dictus *Rubicundus* vel *Rufus*, anno Domini 975. regnare cœpit annis IX. Defuncto patre, denuo ab omnibus qui aderant in Regem eligitur. Pugnans in *Calabria* infeliciter, amisso exercitu natans evasit. Obiit *Romæ* anno Domini 983. VI. Id. Decembr. ibiq; sepelitur; & filium habet unicum *Ottonem* III. & filias tres, *Sophiam* Abbatissam in Gandersem, *Alheydim* in Quedalingborch, *Juttam*, quam abduxit Dux Bohemiæ in uxorem de monasterio *Reginberch*.

OTTO III. puer in regno patri successit, anno Domini 894 annis XVII. regnavit. Anno 994. *Adelbertus* Episcopus coronatur martyrio. Anno 995. *Heribertus* factus Episcopus Coloniensis claruit. *Conradus* Dux obiit. Anno Domini 1000. obiit *Otto* Cæsar. Intestina ejus *Augustæ*, corpus *Aquisgrani* sepelitur. Non habuit hæredem.

HINRICUS secundus Imperator fit 1001. Regnavit annis XXIII. Hic *Hinricum* Marchionem superat, Italiam, Boëmiam subjugat. Vir sanctus & virgo, cum *Kunegunde* conjuge virgine, instituit Episcopatum *Bambergensem* in honorem S. Georgii &c. *Bruno* Episcopus Augustensis, actibus ejus felicibus invidebat, impediebat per se & per alios; quem semper patienter tolerabat. Anno 1006. Episcopus primus Bambergensis ordinatur *Eberhardus*. Papa *Benedictus* Babenberg veniens 1018. ecclesiam S. Stephani dedicavit. *Gislam* sororem dedit uxorem *Stefano* Regi Ungariæ, non prius tamen, quam

quam fidem suscepit Christi. *Bruno* Episcopus à Prucis martyrizatur 1008. *Hinricus* Cæsar migravit ad Dominum 1023. III. Id. Julii, sepultus *Babenberch*, in monasterio S. Petri.

CUNRADUS anno Domini 1025. regnum suscepit, faventibus ei *Aribone* Moguntino, & *Eberhardo* Babenbergensi Episcopis, defuncto *Hinrico*. Versus:

Saxonicum stemma conferat Ottonica regna,
Tenet Augustos cœlum, mare, terraq; Christos.
Vndiq; nobilior Henriciane decor.

Bruno Episcopus Augustensis, laborat destruere Episcopatum Bambergensem, quem frater fundaverat Hinricus. *Conrado* placuit uxorique *Gisla*, cui reginæ permisit Bruno omnia prædia Bambergæ filio ejus Hinrico tradere, destructo illo Episcopatu. Sed defunctus per visum taliter fratrem terruit, quod destitit, seq; male egisse confessus est. *Conradus* anno secundo filium suum *Hinricum* Regem fecit, ipseque Romam pergens imperialem benedictionem suscepit. Post hoc filio suo Hinrico conjunxit *Kunigundam*, filiam Knut Danorum, quæ sine liberis obiit. *Conradus* Episcopatum *Spirensem* statuit provehere: sed deficiens vita, filius continuavit, & nepos consummavit magnifice. *Bruno* obiit 1029. *Stefanus* Rex Vngariæ pacificatur cum Conrado per nuntios post bella. *Rodulfus* Rex Burgundiæ moriens diadema suum Conrado misit 1032. Ratisponæ obiit Episcopus *Gebehadus*, medius trium Episcoporum ejusdem nominis, 1036. *Stephanus* Rex obiit 1037. *Kunegundis* sancta Imperatrix, obiit 1039. *Hermannus* filius Gislæ, Dux Alemanniæ, obiit 1039. *Conradus* obiit anno eodem, *Spiraq;* sepelitur.

HENRICVS III. *Conradi* filius, successit patri, jamdudum Rex ab eo constitutus, annis XVII. Fabulosum est & fictum quod ejus fuerit gener. &c. *Petrus* Vngariæ Rex Henrico fuit.

eo fuit contrarius: sed postea compulsus (cum Vngari fecissent sibi regem *Ovonem*) gratiam quæsivit coram Hinrico & invenit: ideo Ovo Bavariam invasit. Sed Hinricus tertio Vngariam ingressus, Ovonem effugavit, Petrum restituit. *Gisla* obiit 1043. Accepit inde Henricus conjugem *Agnetem*, filiam *Wilhelmi* Comitis Pictaviensis. Hinricus Rex anno 1046. Romam pergens, tres Papas deposuit, & *Swidigerum* secundum Babenbergensem Episcopum Papam constituit, à quo ipse & conjux Agneta, imperiali benedictione sublimantur. Revertens inde Agnes, filiam apud Ravennam peperit. Petrus Rex excœcatur, & captor pro eo regnat, 1047. *Bruno* Tullensis Episcopus Papa *Leo* IX. efficitur. Synodo Moguntinæ Papa cum Cæsare interfuit. Ratisponæ vere haberi reliquias S. Dionysii confirmavit. Leo Papa, vir sanctus obiit 1054. miraculis claruit. *Godehardus* Episcopus Eystatensis successit, *Victor* dictus, Ratisponensis Episcopus *Gebehardus*, Hinrici patruus, occultus adversarius deprehenditur, incarceratur; sed misericorditer restituitur sedi suæ 1056. Hinricus infirmatus 1056. pœnitens obiit III. Non. Octobr.

HINRICUS IV. filius ejus, licet puer, successit. Mater ejus *Agnes* gubernat imperium ad tempus &c. Anno Domini 1057. Imperat annis L. sive XLII. *dicit præsens Chronographus qui hæc scripsit*. Vide alibi *de gestis Hinrici in Chronica Magdeburgensi*. Item *de statu terrarum, & bello sub eo, in Chronico Halberstadensi*. *Otto* Dux Bavariæ accusatus à proditore nequam *Egenone*, amisit ducatum. Otto & Episcopus Halberstadensis *Borchardus*, qui & *Bucco*, concitaverunt contra Hinricum tyrannice agentem, nobiles & Episcopos, & Papam *Alexandrum*. *Hildebrandus* fit Papa *Gregorius* VII. contrarius Hinrico. *Ancelmus* Lucensis Episcopus scriptis defendit Gregorium, *Wicberto* contra eum intruso per Cæsarem. Alii vituperabant,

bant. Hinricus Saxones molestat. Veniam obtinet à Papa anno 1077. Sed iterum recidit. Deposuit imperialia filio 1106. Sed iterum bellum parans nuntiatur mortuus, VII. Id. Augusti. Compilator *librum de Herveldiæ institutione* scripsit. *Burchardum* Episcopum Halberstadensem ab eo inter cæteros captivitate detentum super Goswinestein: alios alibi. Sed taliter fuit liberatus. Rex sororem suam invitaverat, quæ fuit conjux *Salomonis* Regis Vngariæ (ut dicit ipse) quæ cum redire vellet ad propria, Henricus Episcopum eidem tradere voluit abducendum ad *Vngariam*. Audivit hoc aulicorum unus, Episcopo consanguineus: dat Episcopo consilium, ut cum in navi abduceretur, respiceret ad littus. Cumque videret ibi virum equitem, manum dexteram capiti imponentem, petat duci ad littus, quasi necessitatis causa, &c. Et fit ita. Ille eques amicus advolat, Episcopum ad cæteros, quos armatos absconderat, adducit, sedique propriæ Halberstadensi restituit. *Sed non consonant Halberstadienses.*

HINRICVS V. anno Domini 1106. Apud *Maguntiam* congregato consilio omnium nobilium Rex *Hinricus* à patre regalia suscepit, imprecanti sibi cum lacrymis prospera. &c. A Principibus & Legatis Apostolicis Rex eligitur & confirmatur. Misit ad Papam novus Rex, promisit subjectionem, bene incepit. Vide *in Chronica Halberstadensi* similia huic de Paschali Papa & hoc Hinrico. Et tandem, quomodo sub Papa Calixto omnia sunt pacata inter ipsum & sacerdotium, anno 1122. *Hæc eadem ponit iste Chronographus, unde hæc collegi: Et in morte Hinrici terminatur*, anno Domini 1126, qui sine liberis obiit Trajecti, sepelitur Spiræ. *Puto Lambertus vocatur Auctor, monachus Herfveldensis. Si tamen sit iste.*

VI. EIVS-

VI.

EIUSDEM COMPILATORIS HAMERSLEBIENSIS

GREGORIUS PAPA V.

Saxo, natus in Welwerode.

GREGORIUS, quintus Saxo genere, *Ottonis* III. propinquus, pulsus, à *Crescentio* Consule, suffecto Pseudo-Pontifice quodam *Johanne*, ab ipso Othone restituitur: qui primo in arce Crescentium Consulem & Johannem obsedit. Illi spe veniæ supplices ad Imperatorem adeuntes, alter in via trucidatur, alter Johannes exoculatur. Hic instituit, ut deinceps Imperatores Romani à sex Germanis viris, addito *Rege Bohemiæ* legerentur. Hi sunt: *Coloniensis*, *Maguntinus* & *Treverensis* Præsules; *Dux Saxoniæ*, *Comes Palatinus*, *Marchio Brandeburgensis*, anno MII. Sedit annos II. menses VIII. Hujus elogium sepulchri, conditi apud aram *D. Gregorij* in Basilica *Petri*, vitam ejus testans, legitur hodie his versibus barbaris:

Hic, quem claudit humus, oculis vultuque decorum,
Papa fuit Quintus nomine Gregorius.
Ante tamen Bruno Francorum regia proles,
Filius Othonis de genitrice Iudit.
Lingua Teutonicus, VVangia doctus in orbe,
Sed juvenis cathedram sedit Apostolicam,
Ad binos annos & menses circiter octo,
Ter senos Februo commemorante dies.
Pauperibus dives per singula sabbatha vestes
Divisit, numero cautus Apostolico.

Usus

Usus Francisca, vulgari, & voce Latina.
Instituit populos eloquio triplici.
Tertius Otho sibi Petri commisit ovile,
Cognatis manibus unctus in imperium.
Exuit & postquam terrena vincula carnis,
Æquivoci dextro substituit lateri.
Decessit XII. Kal. Martii.

VII.
ALTERIUS
Cujusdam de Cathedrali
GOSLARIENSIUM ECCLESIA,
Ab HENRICO III. fundata, narratiuncula, exscripta & correcta
ab hoc
Eodem Hamerslebiensi Monacho.

HINRICUS Cæsar Rex tertius, filius vel socer *Conradi*, Ecclesiam GOSLARIENSEM, cujus jam *Conradus* fundamenta jecerat decessor, regio cultu absolutam, dedicari fecit per manus sanctissimi Pontificis *Leonis* noni, præsentibus Cardinalibus, Episcopis, Abbatibus LXXIII. quam Ecclesiam idem Imperator voluit appellari *Imperii Capellam*, & Canonicos ipsius *Capellanos regios*. Operam ergo dedit exactam, ut viros tanto honore dignos eidem Ecclesiæ præficeret, si quidem etiam regni illic sedem constituerat. Electi igitur sunt ex omni fere *Germania* viri doctissimi ac religiosissimi, inter quos & venerabilis *Benno*, maximis Imperatoris precibus, jubente præfato *Leone* Papa, vix tandem à monasterio suo extractus, ac dictæ Goslariensi Eccle-

fiæ novæque congregationi spiritalis duxut esset, in magistrum & Canonicnm præfectus est. Quam laudabilem vitam olim duxerit hæc Goslariensis Canonicorum congregatio, ex hoc patet, quod eorum plures sanctorum numero adscripti sunt: idque quod cum in potestate Imperatorum adhuc esset Episcoporum designatio, pauci aliunde, quam ex eadem *regia*, ut dicebatur *capella*, tam sub prædicto *Hinrico tertio*, quam sub filio ejus *quarto*, ac nepote *Hinrico quinto*, ad quæcunque etiam Episcopia ascenderunt. Ut hoc ex eo pateat, nomina eorum & sedium Episcopalium, ad quas sublimati sunt, subscribuntur, *italia*, *Gallia* & *Germania*, sicut apud Goslariensem Ecclesiam ibidem hæc & alia leguntur scitu digna.

	NOMINA PRÆPOSITORUM	EPISCOPATUS EORUM.
	Rumoldus Præpositus I.	*Constantiensis Episcopus.*
Al. Eggardus.	Engelhardus II.	*Magdeburgensis Archiep.*
	Guntherus III.	*Bambergensis Episc.*
	Wernherus IV.	*Merseburgensis Episc.*
	Anno V.	*Coloniensis Archiep.*
	Bibo VI.	*Tullonensis Episc.*
	Bruno VII.	*Herbipolensis Episc.*
	Otto VIII. Præpositus.	*Ravennatensis Episc.*
	Sviderus IX.	*Bambergensis Episc. postea Clemens II.*
Al. Herwvicus.	Hartwicus X.	*Magdeburgensis Archiep.*
	Wilhelmus XI.	*Veronensis Episc.*
	Bertoldus XII.	*Interamniensis Episcop.*
	Arnoldus XIII.	*Pataviensis Episc.*
	Bruno XIV.	*Vercellensis Episc.*
	Geroldus XV.	*Ravennatensis*
	Craft Al. Crasiph.	*Misnensis designatus Episc.*

Ben-

Benno Magister *Misnensis Episc.*
Robertus Præpositus XVII. *Bambergensis Episc.*
Matro XVIII. *Verdensis Episc.*
Herebertus XIX. *Leodiensis Episc.*
Eckhardus XX. *Polonensis Episc.*
Godfridus XXI. *Ratisponensis Episc.*
Eppo XXII. *Wormatiensis.*
Vdalricus XXIII. *Argentinensis.*
Cono XXIV. *Frisingensis.*
Conradus XXV. *Trajectensis.*
Landolphus XXVI. *Treverensis Archiepiscopus.*
Ricolphus XXVII. *Moguntinensis Archiep.*
Erpo XXVIII. *Monasteriensis Episc.*
Hinricus XXIX. *Augustensis Episc.*
Hetzelinus XXX. *Hildensemensis Episc.*
Hinricus XXXI. *Paderbornensis Episc.*
Eylbertus XXXII. *Numensis Episc.*
Liemarus Magister *Hamborgensis Archiepisc.*
Hildolfus Magister *Coloniensis Archiepisc.*
Hic sequitur *Benno* Magister Goslariæ & Præpositus 36. sequitur *Athelogus 37.*
AtelhogusPræpositus XXXIII. *Hildensemensis Episcop.*
Ekhardus XXXIV. *Spirensis Episc.*
Cunradus Canonicus *Hildensemensis Episc.*
Ludolphus Canonicus *Halberstadensis Episc.*
Johannes Magister *Halberstadensis major Præpositus, dictus Semeca, & Teutonicus, Magister & Doctor Decretorum,*
Rudolfus Vicedominus, *Suerinensis Episc.*
Conradus Canonicus *Magdeburgensis Archiep.*

Valentinus XXXV. Præpoſ.	*Mindenſis Epiſc.*
Guntherus Canonicus	*Magdeburgenſis deſignatus.*
Sigifridus XXXVI.	*Hildenſemenſis Epiſc.*
Arnoldus XXXVII.	*Bambergenſis Epiſc.*
Johannes Canonicus	*Havelbergenſis Epiſc.*
Hinricus Canonicus	*Havelbergenſis Epiſc.*

Hos & alios latius require apud Eccleſiam Goslarienſem. *Sed non plus collectum inveni, unde hac correxi, in Goslaria* 1518.

Ibi ſtat: Benno Magiſter Goslarienſis & Præpoſitus, & Miſnenſis Epiſcopus, obiit 11077. & receptus ex Goslaria anno 1066.

IIX. *Ex*

IIX.

Ex libello, qui forte est,

LAMBERTI SCHAFNABURGENSIS,
MONACHI HERSVELDENSIS,

DE

INSTITVTIONE HERS-VELDENSIS ECCLESIÆ,

hactenus inedito

Ejusdem Monachi Hamerslebiensis excerpta,

SVPERIORVM ETIAM IMPERATORVM RES GESTAS

attingentia.

INCIPIT
PROLOGUS IN LIBELLUM DE INSTITVTIONE HERSVEL-DENSIS ECCLESIÆ.

IESV dormiente navis periclitatur Eccleſiæ. Pugnant inter ſe venti in mari magno: & nullus Daniel invenitur, qui oret pro populo. Imo non prævalet Daniel, niſi adverſus principem Perſarum, precibus ejus reſiſtentem, archangelus prælietur Gabriel. Vere enim, vere domus Iſrael domus eſt exaſperatrix: & iniquitas ejus magna eſt nimis. Idcirco Dominus dedit poteſtatem mucroni ſuo, ut vadat ad dextram ſive ad ſiniſtram, quocunque faciei ejus eſt appetitus. Quapropter ingemiſcat Ezechiel, & ingemiſcat in confrictione lumborum, ut non faciat conſervationem Iſrael. Dicat etiam ad Dominum angelus, qui loquitur in Zacharia: Domine Deus exercituum; usque quo tu non miſereberis Jeruſalem: ut ab angelo, qui ſtat inter myrteta, mereatur audire verba bona, verba conſolatoria? Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, ut etſi deflere non ſufficio mala, quæ fiunt in Eccleſia, lugeam ſaltem diu noctuque filiam Babylonis miſeram, matrem ſcilicet meam Herveldiam, multis miſeriis & calamitatibus filiam confuſionis factam? Cujus dum recordamur pulchritudinis, quaſi ſuper flumina Babylonis ſedemus & flemus: quod, ut verum fateamur, peccata noſtra & iniquitates patrum noſtrorum poſt tantam pulchritudinem, confuſionem ei modernæ pepererint fæditatis. Deniq;, ut poſt dicemus, haud difficile eſt dictu quantum brevi adoleverit divitiis, magnitudine, gloria

gloria: cum præcipue studiis B. Lulli Magonciacensis Archi-episcopi, qui ei ædificandæ manum injecerat, tum favore ac liberalitate nobilium virorum atque feminarum; tum frequentia monachorum, nobiliter ibidem in castris Domini militantium, quorum numerus jam tum excreverat usq; ad centum quinquaginta. Tantam siquidem ei contulerat fœcunditatem, qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum lætantē. At nunc effœta & exhausta, imo vero ideo effœta, quia exhausta, ingemiscit & parturit usq; adhuc, & non est virtus parturienti propter violentiam prædonum, qui ei nihil reliqui fecerunt præter parietes & saxa. Memento Domine filiorum Edom, qui dicunt, exinanite, exinanite usq; ad fundamentum in ea. Ob quod suggestioni eorum pravæ, conspiratione reipublicæ atq; Ecclesiasticæ paci contrariæ, assentiri periculosum ducimus. Maximam autem violentiam patimur ab iis, qui defensores esse debuerant Ecclesiæ nostræ; quorum officium erat ex adverso adscendere, & murum pro domo Israel opponere: qui ut sufficerent pro castris Domini stare, & præliare bella Domini, Ecclesiæ sunt opibus locupletati. Sed avaritia cum inferno, nunquam dicit, sufficit. Etenim acceptis, quæ jure illis advocaturæ competunt, beneficiis, una etiam, quæ in nostros usus illis patrocinantibus debebantur, vindicant, instinctu avaritiæ, & devorant plebem tuā Domine, sicut escam panis, nihil agentes de nostra salute, eo quod nostræ professionis non sit injuriis obviam ire. Sed mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus: & qui tangit vos, tangit pupillam oculi meam. Nunc jam tempus flagitat, quid hoc sibi velit exordium exponi. Scribere disposui non ostentandi, sed exercendi causa ingenii, nec scientiæ quæ inflat, sed charitatis gratia quæ ædificat, quæcunque ad animum recurrunt, eorum quæ olim me contigit super statu monasterii vel legisse, vel â probatissimis viris audivisse: quæque etiam ipse expertus.

expertus ſum, ſedens cum Jeremia & flens caſum,&, ut ita dicam, excidium patriæ meæ. Ad quod ſtudium me dormitantem veſtra, ſi recolit, paternitas ſæpenumero excitare curavit: ſed timidum me, filiumque diffidentiæ tandem ad audendum perpulit *læta cujusdam Abbatis Fuldenſis hiſtoria, ſubtiliter memoriæ commendata*. Quanquam nec ea facundia; nec ea copia ſuppetat, tam ſubtiliter enarrandi res, partim oblivione, partim temporum prolixitate, procul à memoria relegatas, & ideo absque ambiguitate minus auctoritatis habituras. Ad hoc me accendunt ſtudia rerum, moderno tempore geſtarum, quanquam ſcientia me ad has deſcribendas minus idoneum: *quas tamen plerasq; pro opibus ingenioli mei heroico metro ſtrictim comprehendi.* Sed quoniam relata ab aliis, ab aliis refelluntur, & in verſibus plurima falſa pro veris ſcripſiſſe accuſor: in hoc genere ſtili manifeſta tranſcurrere, dubia ne attingere ſtatui. Veſtri ſolius, pater mi, in hoc opuſculo expecto judicium. Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Surge, pater mi, & comede de venatione filii tui, ut, ſi faucibus tuis fuerunt dulcia, benedicat mihi anima tua.

EXCERPTA EX LIBELLO QUODAM DE INSTITUTIONE HERSUELDENSIS ECCLESIÆ SEQUUNTUR.

SAncto *Bonifacio* Mogonciacenſi Epiſcopo per martyrii gloriam conſummato, B. *Lullus*, qui ei in Epiſcopatu ſucceſſit, omnem operam ſuam, ſicut ei, cum adhuc rebus humanis intereſſet, pollicitus fuerat, in locum Fuldenſem intendit. Itaque fratres frequentius inviſebat, eorumque animos, ſuper deceſſu B. Bonifacii anxios, verbis exquiſitisſimis refovebat. Ubicunque res poſceret

poſceret aderat; inopiæ rei familiaris ſupplementum affatim præbebat; periculum, ſi quod forte immineret, propulſabat; omnia poſtremo liberalis atque indulgentisſimi patris officia impenſius adminiſtrabat. Verum ea longe aliter, quam ipſe ſpe concepiſſet, ceſſere. Non ſolum enim his rebus nullum favorem, nullam eorum benevolentiam ſibi conciliabat, verum etiam cunctorum ibi degentium gravisſima in ſe odia ſuſcitabat. Igitur poſt multos ſudores irrita ſpe exhauſtos, poſt diuturnam deliberatioem, tandem victus rerum aſperitate, totam ab incepto intentionem revocavit, conteſtatus viventem in Chriſto ſpiritum B. *Bonifacii*, voluiſſe quidem ſe præceptis ejus, quibus ei locum illum impenſius commendaverat, parere, ſed vi atque injuria fractum loco cedere. HERVELDENSE deinde ſolum melioribus profecto auſpiciis occupare aggreditur; in hunc locum omnes ſuas copias dedita opera coëgit: tantas rerum impenſas alieno fundamento ſine fructu acquiſitas, hinc cum fructu inſumere parat. Qui & acriore vi ejus rei gratia incubuit, ut fractum priori adverſitate animum ſequenti rerum ſucceſſu reſtitueret. Nec ſpem fefellit eventus. Nam brevi temporis proceſſu Herveldenſe nomen in immenſum gloriæ & magnitudinis culmen evaſerat. Opibus ſiquidem, agris, ac familiis nec non ædificiis magis magisque indies augebatur, partim ſtudio B. *Lulli*, ſapientis admodum viri, partim liberalitate Principum totius regni, qui pio deſiderio ope ſumma omnes annitebantur. Ea etiam cauſa opes Monaſterii non minimum auxerat, quod frequentes eo confluebant celebris in ſeculo & famæ & familiæ, qui venditis rebus familiaribus pretia earum afferebant, & ſecundum inſtituta Eccleſiæ primitivæ ea ſubſternebant pedibus Apoſtolorum *Simonis* & *Judæ*. His enim Eccleſia loci attitulata erat. Nam poſtea, ut Deus inſigne documentum daret ſpectantis eo benevolentiæ ſuæ, & non ſine ſuo nutu geſtum, ut tam difficulter coaleſcerent animi Fuldenſium fratrum cum ani-

mo Pontificis: idem sanctus Pontifex angelica in somnis voce tertio est admonitus, ut corpus B. *Wigberti* eô transferret. Is accitu B. *Bonifacii* de *Britannia* veniens, in *Galliis* vitam, morum gloria ornatissimam exegerat, tandemq; felici in Christo dormitione sopitus in oppido *Friteslar* sepulturam acceperat. Ego haut temere, nec sine Dei nutu gestum credo, ut sancti Pontificis, & sanctorum fratrum, ut se mea fert opinio, animi tam difficulter coalescerent. Si enim benivolentiam Episcopi hæc rerum procella non excepisset, nimirum in alieno fundamento nimium occupatus, privatæ gloriæ studium omisisset, atque Herveldense nomen toto orbe clarissimum abjisset in vacuum: nec tanta copia sanctissimorum hominum, eo loci conversantium, auxisset numerum cælestium spirituum. Igitur cum B. *Lullus* monasterium illud opibus, ædificiis, familiis quoque affatim exornasset, cunctumque domus Domini decorem adjungere elaborasset, multitudinem quoque fratrum C. videlicet L. temperatissimis institutis instruxisset, KAROLUM Imperatorem, cui ex virtute nomen accessit, ut KAROLUS MAGNUS diceretur, eo vocavit, & cuncta in tutelam ejus patrocinandi gratia tradidit; hancque traditionem & patrocinandi jus, cunctis deinceps in solium regni succedentibus ratum manere statuit. *Hæc de exordio Herveldensis Ecclesiæ strictim dicta, libellus de vita S. Lulli editus latius explicat, si quis ea plenius nosse desiderat.* Qualiter vero post hæc locus ille per incrementa temporum ad perfectum pervenerit, aut qualiter supradictus fratrum numerus C. videlicet & L. integro adhuc rerum statu imminutus sit, vel quales viri sibimet in regimine loci illius successerunt, usque ad tempora Gotzberti Abbatis, parum compertum habemus. Nihil enim de his literis inditum reperimus, magis, ut se mea fert opinio, scriptorum incuria, quam ingeniorum penuria. Quorum tamen seriem hic ponere duximus dignum; sive ne penitus vetustate è memoria aboleantur, sive

quod

quod aliqui eorum summo functi sacerdotio, & usui profecto fuerunt nostro monasterio & honori. BALTHART Abbas, BUNO Abbas, BRUNWART Abbas, DRUGO Abbas, HARDARAT Abbas, DIETHART Abbas. Item DIETHART Abbas & Episcopus, BURCHART Abbas & Episcopus; MEGENGOZ Abbas, HAGANO Abbas; GUNTHERUS Abbas; EGILOF Abbas, GOZBERTUS Abbas; è quibus *Hagano* calicem magnum de auro purissimo electro & gemmis preciosis in ministerium Domini in gloriam & decorem fieri fecit. Vmbonem vero patenæ, latitudine pene unius palmæ, totum per circuitum, lapidibus pretiosissimis & unionibus vestivit. Verùm nos ea, quæ paulo ante nostram ætatem gesta sunt breviter, prout ea expiscari potuimus, attingentes, hæc, quæ nostris modo temporibus geruntur, lamentando potius, quam dictando, subnectamus. Et ne quis nobis crimini ducat, quod tempora Regum vel Romanorum Imperatorum per successiones suas subtexentes, non eorum quoque feliciter vel secus gesta historiæ more pariter inseramus, hoc sibi responsi habeat, quicunque hæc legere animum inducit, nos non statuisse omnia scribere, quæ in republica vel Ecclesia gesta sunt, aut geruntur, utpote monasterii carcere inclusos, nec hominum expertos, nec valde curiosos. Ego mihi hanc tantum operam injunxi, ut nostræ reipublicæ Consules, hoc est, monasterii nostri Patres atque rectores, cum calamitatibus, quæ nos modernis temporibus oppresserunt, stili officio ad posteros transmitterem. Nam iidem ipsi nimirum Imperatores, suorum secum habent præcones meritorum, experientia, ut ita dicam, vernacula eis scribenda dictante, & falsas opiniones veritate astipulante longius propellente. *Verum hæc hactenus.* Igitur GOSBERTVS Abbas, & si non morum, studii tamen sui erga locum Herveldensem satis evidens ad nos transmisit documentum, magnum scilicet copiam librorum suo nomine ob monimen-

nimentum sui attitulatorum. Plurima quoque ornamenta in auro & argento, in vestibus sacris, quibus uterentur in gloriam, ingressuri sanctuarium, tabulam quoque altaris composuit, &c. dicens: *Domine dilexi decorem domus tuæ.* &c. tempore *Ottonis II.* qui *rubicundus* dicebatur. Quo mortuo, *Ottonem* filium reliquit hæredem parvulum, cui patruus *Hinricus* regnum subripuit: inde *Ludolfus* frater Ottonis idem attentavit. Sed optimatum major vis utriusque conatum repressit. Abbas *Gosbertus*, quia *Ludolfo* juraverat, *Ottoni* jurare noluit. Ideoque discedens, BERNHARIUS ex ejusdem monasterii Præposito, Abbas successit superstiti. Idem calicem magnum cum duabus ansulis, ex puro auro, electro & margaritis comparavit. Hic monasterium sibi construxit *montem S. Petri*, ibi cum suis militibus residens, rebus monasterii profuse utebatur, fratribus licentia permissa sibi vivendi in deterius. Hæc tempore *Henrici Sancti*, ad quem effrenati monachi contra Abbatem conquesti sunt. Qui mittens ad *Altahense* monasterium, ejusdem loci Abbati *Godehardo* commisit Hersveldense monasterium: quod tamen non acceptavit, donec paulo post objisset *Bernharius*. Tunc destructis cellis proprietariis, intravit reformare in melius: *regnum se accepisse* dixit, *non monasterium*: ideoque plurima pretiosa dedit pauperibus. Stolas ducentas aureas conflavit per ignem; aurum pauperibus distribuit. GODEHARDVS mortuo Episcopo Hildesemensi, ibidem Episcopus instituitur. Successit Herveldiæ ARNOLDVS, ex Præposito ejusdem loci Abbas, districtæ severitatis vir, tempore *Hinrici* Cæsaris. *Conradus* successit Cæsar tempore ejus, apud quem accusatus Abbas *Arnoldus* deponitur, RVDOLPHVS Abbas instituitur, Italus genere, mitis pater & benevolus, in Dei servitio vigilantissimus. Sed paulo post ab eodem *Conrado* in Episcopum Paderburnensem instituitur. BARDO Abbas succedit, qui eodem anno Archiepiscopus Moguntinus efficitur, ad cujus sepulchrum mi-

racula

racula fiunt. MEGENHERVS Abbas ex monacho ejusdem loci succesſit, vir gravis & bonus, cujus doctrina concordavit cum vita. Scholam inſtituit, omnium artium peritus fuit. Tempore ejus anno Domini 1038, ejus anno tertio, totum monaſterium incendio periit. Sed Deus optimus miraculis multis eos conſolatus eſt, ibidem oſtenſis per merita SS. patronorum Wieperti & Lulli. Inter ſanatos advenit unus ex illis, qui in Kollebecſe/ quod interpretatur *pruinarum rivus*, choream illam famoſam duxerant, tremulus per annos jam XXIII. Hic ibidem ſanus factus *Ruthart* nomine, ſervitio S. *Wigberti* ſe tradidit, gratus Deo & ſanctis ejus. *Conradus* Imperator tempore ejus objit: filius ejus *Hinricus*, velut alter Karolus, in regno ſuccesſit, virtuoſus & pius. Nigro erat, ſed venuſto aſpectu, ſtatura procerus. Nam ab humero & ſurſum eminebat ſuper omnem populum. Ipſe aderat, delicatus adhuc & inunctus rex, dedicationi Eccleſiæ reparatæ Herveldiæ, quam dedicarunt *Humfridus* Magdeburgenſis, *Raſſo* Nuenburgenſis & *Hunoldus* Mersburgenſis, Epiſcopi, cui cum conſenſu *Bardonis*, Moguntinæ ſedis Archiepiſcopi, ſub Abbate *Meginhero*, quem idem *Hinricus* ut ſanctum virum venerabatur & ſociabat lateri ſuo, decimas etiam tributorum regalium, donec viveret, conceſſit. *Burchardus* Epiſcopus Halberſtadenſis poſt hæc obiit, *cui auctor libelli hujus crimen imponit injuſtæ detentionis decimæ cujusdam, quæ pertinebat ad monaſterium Hersveldenſe.* &c. ſubſequitur mors Abbatis *Meginherr. Hinricus* Cæſar optimus obiit. Idem *Egbertus* Fuldenſis Abbas inter eosdem obiit. *Plurimum commendat autor hos tres. Sed Epiſcopi Burchardi, viri utiq; ſancti, & qui mortem ſuam prædixit, plurima bona fecit, & miraculis claruit, reprehenſio videtur injuſta*, & quod crepuerit medius, ſicque pœnitentia ductus ſera, reſtituerit, quæ injuſte invaſerat, *non conſonant veritati.*

EX LIBRO II. EJUSDEM COLLECTA.

HINRICVS Cæsar moriens, *Hinricum* filium parvulum reliquit hæredem, sub matris suæ *Agnetis*, prudentissimæ reginæ regimine. RVTHARDVS, quondam Abbas Corbeiensis, *Megenhero* succesfit Abbati Herveldiæ, vir prudens & magnanimus, imperare & imperari novit. Ad seculum se prudenter agebat, in spiritualibus mediocriter *Megenherus* via contraria incesserat. *Anno* Coloniensis Archiepiscopus, filium *Henricum* matri abstulit, flentibus utrisque: Episcopus cum rege ad se rerum gubernacula transtulit. Rex interim Vngatorum *Salomon*, & ipse puer, ab avunculo regno pulsus, ad *Hinricum* confugit. Vtrique alterius soror desponsata fuerat. Restituit ipsum regno, *Annone* cooperante. *Hinricus*, cum ad maturam venisset ætatem, relicto Episcopo, secundum propriam vixit voluntatem, promittensque *Karolum Magnum* suo sese seculo repræsentaturum, *Roboam* se repræsentavit: *de pro satis alibi scribitur*. *Anno* curiæ se abdicat ideo, in ocia se recipiens. *Adelbertus* Bremensis Archiepiscopus, loco ejus, non industriæ, substituitur. *Ruthardus* Abbas senio confectus, HENRICO adveniente, Herveldiam resignavit. HARTWIGVS monachus ejus loci substituitur per eundem *Hinricum*. *Anno* hoc gratum habuit. *Cujus laudem scriptor non persequitur, quia superstes fuit temporis ejusdem*. *Ruthardus* in insaniam post hæc versus est. *Otto* Dux Bajoriorum accusatur reus in regem. Moguntinus Archiepiscopus *Sigefridus* aderat &c. Palatium perditis moribus plenum erat. *Va enim tibi terra, cujus Rex puer est*, &c. Imperatrix parvulum peperit regem in Herveldia. *Sapientibus ista sufficiant: alibi plura requirant.*

IX. De

IX.

De fundatione aliarum

GERMANIÆ ECCLESIARVM,

à temporibus

KAROLI MAGNI, ad OTTONEM MAGNVM,

AVCTORIS INCERTI.

ANno Domini DCCLXXII. *Karolus Magnus*, anno regni sui sexto, Episcopatum *Osnabruggensem*, quæ est prima Ecclesia Saxoniæ & Westphaliæ, fundavit in honorem S. Petri Apostoli. Anno Domini DCCLXXVII. & anno regni sui XIII. erexit Ecclesiam in *Salingestede*, qui locus nunc Osterwicf dicitur, quæ postea anno XL. in *Halberstad* translata est, in honorem B. Stephani. Anno DCCLXXX. Episcopatum *Mindensem* fundavit in honorem B. Petri, in loco ubi Rex Angarorum *Wedekindus* castrum habuit, quam multis & diversis privilegiis ac dignitatibus præ aliis Episcopatibus decoravit. Versus:

En septingentis octoginta simul annis
Ecclesiæ Minda locus aptus conditur inde.

Anno Domini DCCLXXXI. quartum in *Brema* in honorem B. Petri Apostoli fundavit: ubi S. *VVilhadum* primum Episcopum præfecit.

Anno Domini DCCLXXXII. sextum in *Bardewik*, quæ nunc *Verdensis*, in honorem Mariæ & Ceciliæ, cui S. *Gwibertus* præfuit.

Anno Domini DCCLXXXIII. Septimum in *Schidere*, quæ est villa in Dominio de *Swalenberge*, quæ postea per *Brunonem* & *Tancwardum* Saxonicos in *Ballersleve* transponitur, & inde per *Hinricum primum* in *Vrose*, oppido *Northuringia*, & tandem per *Ottonem Magnum* in *Partinopolin*, quæ est Magdeborg / transfertur. Versus:

Dum non gentenus terdenus ducitur annus,
Extitit à Christo, tunc rex Magnus fuit Otto,
Magdeborch anno fuit hujus structura secundo.

Anno

Anno Domini DCCLXXXIV. Octavum Episcopatum fundavit in *Mimigafforde*, quod est Monasterium *Westfaliæ*, paci & quieti gentis Christicolæ, quam in terras illas duxerat, satagens providere, in honorem S. Pauli Apostoli.

Anno DCCLXXXXVI. Nonum in *Aulica* Elße / in honorem S. Petri fundavit, quæ post in *Hildensem* translata est, eo quod reliquiæ Mariæ de *Hildensem* in *Aulicam* asportari non poterant, per *Ludewicum* filium suum, anno DCCCXVIII.

Eodem anno idem *Karolus*, scilicet DCCXCVI. solemnem Basilicam *Aquisgrani* in honorem Mariæ fundavit, ad cujus ædificationem à *Roma* & *Raveuna* solempnas marmoreas devehi mandavit gravibus expensis & laboribus.

Anno Domini DCCCXI. Decimum in *Hammonis*, quod est Jovis castrum, quod olim *Hocburch*, nunc vero *Hamburch* dicitur fundavit, in honorem Virginis gloriosæ. Qui postea tempore *Anscharij* Episcopi *Bremensi* conjunctus, Archiepiscopatus factus est, anno Dõmini DCCCXXXVI. & sic B. *Anscharius* primus fuit Archiepiscopus *Bremensis*, & ultimus *Hamburgensis*.

Anno Domini DCCCXIV. obiit prædictus *Karolus* anno vitæ suæ LXXII, regni XLII. Kalendis vero Februarii obiit, & est sepultus in Basilica rotunda B. Mariæ *Aquisgrani*, quam ipse fundavit, & postea translatus est. Etiam invenitur, quod prædictus Karolus Magnus fundaverat *quatuor Archiepiscopatus*, videlicet *Treverensem*, *Coloniensem*, *Maguntinum* & *Salsaburgensem*. Hic habuit tres filios, scilicet *Ludevvicum*, *Pippinum* & *Karolum*. Iste *Ludevvicus* post patrem imperavit XXIII annis & anno DCCCXV coronatus est.

Anno Domini DCCCXVIII hic *Lodevvicus* primus Ecclesiam *Hildesemensem* de Aulica Elße transtulit Episcopatum, & *Gunzarium* primum Episcopum præfecit: qui obiit anno Domini

 DCCXXXVI

DCCCXXXVI. & sepultus est in cripta, ubi nunc est cellarium in curia Episcopi.

Anno Domini DCCCL Cœnobium *Gandersem* inchoatur per *Ludolffum* quartum Ducum *Saxoniæ*, de progenie *Wedekindi* regis Angarorum, quem *Carolus* Magnus convertit, & a *VVilbado* episcopo Bremensi baptizatus *VVormatiæ*. Et *VVickbartum* Ducem Christianum, qui genuit *VValbertum*, qui fundavit *VVildeshusen*, & genuit *Ludolphum* prædictum, qui habuit filiam *Achamoda*, quæ prima Abbatissa facta est ibi. Iste *Ludolphus* genuit *Ottonem*, *Brunonem* & *Tanqvvardum*. Bruno Dux urbem *Brunsvvick* fundavit, quæ ante *Tanqvvardevorde* vocabatur anno Domini DCCCXC.

Item, anno Domini DCCXCII Comes *VVolterus* in *Hervorde*, hortante *Karolo* Magno, & auxilio *VVedekindi* regis Angarorum, Cœnobium *Hervorde* fundavit, & cum toto Comitatu dotavit.

Anno Domini DCCXCIII *Alkqvvinus* instructor *Karoli* Magni, Anglicus genere, Studium de *Roma Parisios* in Franciam transtulit auctoritate *Caroli*: & illius fundatores erant quatuor monachi, discipuli venerabilis *Bedæ*, videlicet *Rabanus*, *Alkqvvinus*, *Claudius* & *Johannes Schotus*.

Anno Domini DCCCXXV. Primo incipit Comitatus *Flandriæ* per *Ludewicum* primum Comitem, qui videlicet Flandriam vacuam, incultam, & nemorosam occupat, etiam primus Comes existens.

Anno Domini DCCCLXV. *Hollandria* comitatus primo incepit. Nam *Carolus Calvus* Rex Franciæ *Thidericum* primum Comitem fecit, qui postea *Eghmun* fundavit.

Anno Domini DCCCCVI. Monasterium in monte *Luneborch* fundatum est ab *Ottone* Duce Saxonum, hortante eum ad hoc *VVickberto* Episcopo Verdensi.

Anno

Annno Domini cIↄ CCIII. Incepit dominium d e *Hoya*. Versus : *Mille post annis duo CC. Domini celebrantes,*

Sicut asseritur, cum tribus associatur,

Hoya dominium sumsit initium.

Anno Domini DCCCXIV. Ecclesia *Verdensis*, quæ prius fundata erat in *Bardevvick* per unum de LXXII. discipulis Christi, nomine *Egistium*, qui de *Treveris* venerat, & est ibidem martyrisatus. Et dicitur, quod hæc civitas *Bardevvick* erat ante Romam CCXXXVI annis. Et in monte proximo Cæsar *Julius* auream statuam erexerat in honorem Deæ *Lunæ*, quæ ab incolis colebatur, & adorabatur usq; ad adventum *Egistii*, vel secundum aliquos, usque Episcopus Verdensis *Rupertus* tale idolum fregisse dicitur, & ibidem monasterium in honorem *Mariæ* & *Michaelis* construxit. Hæc Ecclesia *Bardevvick* isto anno translata est in *Verden*. Fuerunt autem hæ duæ civitates primæ in tota *Almania*, quæ ædificatæ fuisse dicuntur VII. anno Abrahæ, ante *Romam* cIↄ CC. annis.

Anno Domini DCCCXLVI Sanctus *Anscharius* Episcopus Hamburgensis Ecclesiam *Ramasslavv* fundavit.

Anno Domini DCCCL Cœnobium *Gandersem* inchoatur per *Ludolphum*, quartum Ducem Saxoniæ de progenie *VViddekindi*, ut dictum est.

Anno Domini DCCCCXXV. *Henricus* primus Rex Romanorum, Dux *Saxoniæ* natus, qui solvit *Saxones* à tributo *Vngarorum*, & misit ipsis pro tributo canem præscisum auribus & cauda, propter quod *Vngari* miserunt contra eum CXX milia virorum usque *Lichen* in Thuringiam, quos idem Rex, & Saxones à tributo liberat, anno DCCCCXXX.

Idem Rex Henricus castrum *Misnæ* ædificavit & Goslar: & mineralia in monte invenit, qui dicitur de *Ramesberch*.

X 2 Item

Item *Qvvedelingborch* urbem, & ibidem monasterium gloriosum construxit, & fecit Abbatissam primam suam filiam.

Anno Domini DCCCCXXXVIII. *Otto* primus, filius hujus *Hinrici*, urbem *Magdeborch* ædificavit.

Nota *octo* sunt *ætates mundi: Prima* ab Adam usque ad Noë, à Noë usque ad Abraham, ab Abraham usque ad Moysen, à Moyse usque ad David, à David usque ad Christum. *Sexta* usque ad finem mundi, *Septima* morientium, & *octava* resurgentium.

De

X.

De

Ecclesia collegiata S. BLASII in Brunsvvik,

&

SERENISSIMIS BRUNSVICENSIUM DUCIBUS,

excerpta Chronologica,

è duabus vetustis ejusdem Ecclesiæ membranis.

HÆc sunt nomina Reliquiarum, quæ sunt recondita in cruce, quæ ſtat in media Eccleſia ante chorum, quam Dux HINRICUS Leo fieri juſſit pro remedio animæ ſuæ. De ligno Domini. De ſpinea corona. De veſtimentis S. Mariæ. S. Johannis Baptiſtæ, S. Stephani Protomart. S. Laurentii Martyris. S. Chriſtophori Martyris. S. Quiriaci, qui & Judas. SS. Nerei & Achillæi, & Pancratii Martyrum; S. Nicolai Epiſcopi & confeſſoris. S. Mariæ Magdalenæ.

Iſtæ reliquiæ ſunt in capite nigræ crucis, Anno 1312. Sanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti, De ligno Domini. De virga Aaron. S. Bartholomæi Apoſtoli. De Innocentibus. S. Hippolyti Martyris. S. Damiani Martyris. S. Thomæ Epiſcopi & martyris. S. Cæciliæ Virginis & martyris. SS. Juſti & Arythemii & Honeſtæ Martyrum.

Iſtæ reliquiæ ſunt poſitæ in novum plenarium, An. Domini 1311. De ligno Domini, de veſtimentis S. Johannis Evangel. S Matthæi, S Marci Evangel. S. Lucæ Evangel. S. Petri, S. Pauli, S. Bartholomæi, S. Johannis Baptiſtæ, S. Blaſii Epiſcopi. S. Thomæ Epiſcopi, De Innocentibus, SS. Abdon & Sennes, S. Godehardi Epiſc., S. Barwardi Epiſc, S. Autoris Epiſc, S. Magni Epiſc, S. Urſulæ Virginis, S. Cæciliæ Virg., S. Laurentii Martyris, S. Adelheydis Imperatricis, S. Cunegundis Imp. & Virginis, S. Henrici Regis.

Anno Domini 1312. In vigilia translationis S. Blaſii Epiſcopi, eſt dicata capella, altare & cœmiterium in *Sceverlingeborg*, in honorem S. Mariæ, S. Johannis Bapt. & S. Blaſii Epiſcopi & Martyris, à fratre Hermanno Belonvilonenſis Eccleſiæ S. Johannis Baptiſtæ Epiſcopo, auctoritate Domini Alber-

Alberti de Anehalt, Halberstadensis Ecclesiæ Episcopi, procurantibus Dominis nostris, Bal. Decano, Eugenio de Medingen Præposito, Henrico de Lunenburg, Echardo custode, Thiderico de Gadenstede / Magistro Brunone, Widekindo, Sigfrido, de Alten/ Borchardo de Cramme / & patre suo Harberto, Henrico de Weverlinge, Ludolfo de Holleghe, Lukemanno, Wasmodo de Knesebeck / Nicolao de Werle / Johanne Felice & Thiderico de Polede de Goslaria, Reinboldo Scholastico.

Istæ reliquiæ sunt positæ in altare. De virga Aaron, de candela, quam S. Petrus consecravit, de velo B. Mariæ S. Johannis Baptistæ. S. Andreæ. S. Bartholomæi. S Jacobi majoris, S. Stephani Protom. S. Blasii Episc. S. Laurentii. S. Burchardi Episc. S. Margaretæ virg. SS. Vndecim millium virginum. Translata est autem ab eodem Episcopo Hermanno dedicatio capellæ in diem Dominicam, post festum S. Mariæ Magdalenæ anno Domini 1312.

Anno Domini 1342. fuit magna inundatio aqua in die Praxedis Virg. à longinquis temporibus inaudita. Nam in altis montibus unda ebullire videbatur, de terra similiter & in domibus; Ad partem occidentalem omnes fluvii fuerunt magni supra modum. Hæc scriptura videbatur aliquanto recentior superiori.

Anno Domini 1322. in die SS. Johannis & Pauli hora prima, Eclipsis solis fuit generalis, & illo anno periit annona, & sequente anno sequebatur magna Karistia; ita quod chorus siliginis solvit unam marcam argenti puri, & fuit aura per totum annum multum pluviosa.

Anno Domini 1370. chorus siligina solvit 1. marcam ante tempus messis.

Milleno ducenteno quarto nonageno
Remigii sunt suspensi bis quinq; magistri,
Dux intromissus; at M tria CCC. minus uno

Hic

Hic victor Brunsvik superavit nemine leso.
Misse trecentos - - - - - - Deus annos,
Quando complevit, & Dux in pace quievit,
Mauricii mane, corpusq; reliquit inane.
Ter quinquagenos DAVID canit ordine Psalmos
Versus bis mille sexcentos sex canit ille.

Eidem scripta extant manu recentioris alicujus.

Anno Domini 1455. circa Pentecosten, pro una marca Brunsvicensi, quæ valuit tres florenos cum III. solidis novis, emerunt in foro decem choros hordei.

Anno Domini 1482. ipso die Jacobi, obiit Illustrissimus Princeps Dominus Wilhelmus, in Brunswik & Lunenburg Dux. Cæcilia de Brandenburg uxor: Mechildis de Holstein & Schomborg secunda uxor. Exequiæ ejus in trigesimo fuerunt peractæ solemniter in laudem Dei.

Domina Gisla de Werle tres viros habuit. Primus fuit Dux Sueviæ, cui genuit Hermannum Ducem Sueviæ. Secundus fuit comes BRUNO in Brunesvik, cui genuit Ludolfum in Brunswik. Idem Ludolfus Ecbertum: Idem Ecbertus Gertrudin: Eadem Gertrudis Rixam Imperatricem. Eadem Rixa Gertrudin Ducissam: Eadem Gertrudis Ducissa HENRICUM LEONEM Ducem. Idem Dux Hinricus genuit Wilhelmum, Wilhelmus Ottonem, Otto Albertum, Johannem, Ottonem, Conradum, Marchinissam, uxorem regis Hollandiæ, Dominam de Rugen/ Dominam de Anchalt/ Ducissam Saxoniæ.

3. Item Dominæ Gislæ fuit tertius maritus Conradus Rex, cui genuit Hinricum hujus nominis tertium Regem. Hinricus III. rex genuit Hinricum IV., Hinricus IV. genuit Hinricum V., qui pugnavit in Westpesholtze Anno Domini 1115.

Dominus Hinricus Leo duxit Dominam Mechtilden, filiam Regis Angliæ, de qua genuit Ottonem Imperatorem IV., Hin-

IV. Hinricum Palatinum, Wilhelmum, Luderum, qui puer obiit 1177. Dominus Otto IV. primo habuit Dominam Beatricem, Regis Philippi filiam. Postea Dominam Mariam, sororem Ducis Bavariæ, de quibus nullam reliquit hæredem.

Dominus Hinricus frater ejus duxit uxorem Agnes de Reno, de qua principatum Palatii obtinuit. De ista genuit duas filias, Ducissam Bavariæ, & Marchionissam de Baden, quæ patre mortuo hæreditatem in Brunswik Imperio Friderico secundo vendiderunt. Item aliam duxit uxorem Dominam Agnetam, Conradi Marchionis de Landesborch filiam, quæ cum nullum haberet puerum, in viduitate sancte & pie vivendo, monasterium religiosarum Dominarum in Winhausen instituit, ubi & quiescit.

Dominus Wilhelmus frater dictorum Dominorum, Principatum in Lunenburg & sedem habuit, & duxit Helenam, Danorum regis filiam, de qua genuit Dominum Ottonem qui dicitur Puer, in Lunenburg. Iste partem proprietatis suæ, & partem patrui sui Domini Palatini, quam filiæ suæ Imperio vendiderant, totaliter unitam, jure fœdali à Friderico II. habente curiam Maguntiæ, recepit, ubi, distante Principum sententia, de proprietate sæpe dicta fit ducatus.

Ex alia quapiam ejusdem Ecclesiæ membrana.

ANno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi 310. passus est S. BLASIUS Episcopus.

Anno Domini 905. fundatum est monasterium S. Michaelis in Lüneborg.

An. Dn. 935. Obiit Dominus Hermannus, fundator ejusdem monasterii.

An. Dn. 940. Obiit Domina Hildegardis, uxor Domini Hermanni fundatoris.

A. D. 1090. Obiit Ecbertus Marchio, fundator Cyriaci martyris.

A. D. 1115. Completum est & dedicatum monasterium S. Ægidii, S. Johannis Evang. & S. Autoris Episcopi, à venerabili Episcopo Reginhardo, petente Gertrude Comitissa, & Domino Henrico Abbate. Eodem anno commissum est famosissimum prælium nostra ætate in Welpesholt.

A. D. 1117. Obiit Gertrudis Marchionissa; filia Ecberti, & fundatrix S. Ægidii in Brunswik.

A. D. 1166. Carolus Magnus de tumba levatus.

Eodem anno Henricus Leo Dux super basem erexit Leonis effigiem in Brunswik.

A. D. 1101. Obiit Adeloldus Præpositus antiquæ Eccles. nostræ.

A. D. 1170. passus est S. Thomas Cantuariensis Episcopus.

A. D. 1173. fundata est Ecclesia S. Blasii Episcopi, quæ nunc est.

A. D. 11 8. Obiit Domina nostra Mechtildis fundatrix.

A. D. 1195. Obiit Dux Henricus Leo fundator noster secundus.

A. D. 1099. Surrexit Ordo Grisensis.

A. D. 1135. Mutatus est conventus Canonicarum in Luttere, in ordinem S. Benedicti, à Ludero Imp. & uxore ejus Rikza, mortuo Bernardo Comite de Haldesleven, qui primus fuit fundator Canonicarum.

A. D. 1188. Dedicatum est altare S. Mariæ in choro.

A. D 1208 Surrexit ordo Prædicatorum sub Papa Honorio.

Anno D. 1213. Obiit Dux Wilhelmus de Lunenborg.

A. D 1218. Obiit Otto IV. Romanus Imperator.

A. D

A. D. 1222. Dotatum est altare S. Bartholomæi à Duce Henrico Palatino.

A. D. 1227. Dedicata est Ecclesia S. Johannis Baptistæ, S. Blasii, & S. Thomæ, à venerabili Episcopo Hildesiensi, Domino Conrado, in die S. Thomæ Episcopi.

Eodem anno in die S. Vitalis obiit Dux Hinricus Palatinus Item eodem anno Dux Otto de Lunenborg patruelis suus cepit Brunswich.

A. D. 1228. S. Franciscus de tumba levatur.

A. D. 1241. facta est Eclipsis Solis in octava S. Michaelis.

A. D. 1246. Translata est dedicatio Ecclesiæ S. Blasii, à Domino Conrado Episcopo Hildesiensi, in translationem D. Thomæ Episcopi.

A. D. 1251. Rex Wilhelmus Hollandiæ, duxit Bruneswich filiam Ducis Ottonis.

A. D. 1252. Obiit idem Dux Otto de Lunenburg.

A. D. 1256. Suspensus est Comes Conradus de Everstein à Duce Alberto.

A. D. 1258. Datum est castrum Asseborg Duci Alberto Seniori.

A. D. 1264. Captus fuit Albertus Dux Senior, Apostolorum Simonis & Judæ.

A. D. 1277. Obiit Dux Johannes de Luneborg.

A. D. 1279. Obiit Dux Albertus.

A. D. 1279. Obiit frater suus Otto Hildesiensis Episcopus.

A. D. 1294. In die S. Remigii sunt suspensi X. magistri Gildonum, undecimus decollatus, duodecimus evasit per absentiam.

A. D. 1299. In die S. Pancratii immissus fuit Dux Albertus junior, cum magno exercitu Bruneswich, à Conrado Molendinario, extra valvam S. Andreæ, sine aliqua cæde & aliquo bello.

A. D. 1291. obiit Dux Wilhelmus, filius Ducis Alberti Senioris

A. D. 1300. Fuit annus jubilæus, cum omnes irent ad curiam Romanam pro indulgentia, quæ tunc fuit à novo confirmata à Domino Apostolico Bonifacio VIII.

Anno 1308. Fuit magnus cursus de viris & mulieribus, volentibus ire trans mare, temporibus Clementis Papæ V. Isti appellabantur Crützebröder.

Anno 1311. Circa festum S. Johannis Baptistæ fuit factus miles Otto, filius Ducis Alberti junioris, à March. Woldek, patre & matre viventibus, & fuit tunc 19. annorum.

A. D. 1312. Dominus Clemens Papa V. destruxit omnino Ordinem Templariorum, in concilio generali, Viennæ celebrato.

A. D. 1313. Obiit Dux Henricus, gloriosus Cæsar VI. & Imp. Romanorum. Occisus per venenum in ablutione, postquam communicaverat: dicitur à quodam fratre de Ordine Prædicatorum, suo Confessore.

A. D. 1314. Circa festum S. Ambrosii obiit Papa Clemens V.

I. S. D. *Scriptor iste videtur è vivis decessisse Anno 1314. singulis enim annis eum nonnulla præcedentibus addidisse, argumento erant calami & argumenti mutatio.*

XI. Co-

XI.
COPIA
Einer alten auff Pergamen geschriebenen Taffel / so in Duhm zu Braunschweig gegen Hertzog Heinrich des Lewen Begräbniß öffentlich hanget.

In düsser nafolgenden Schrifft vint man vertekent de Stifftunge der Kerken S. Blasii, unde wat vor Heren unde Vorstinnen allhier begraven/ mit der Jahrthal up dat körteste verfatet.

ALse man schreff na Goddes Gebordt 861/ hefft Hertog Danckwarth tho Sassen erstlik düsse Borch bemühret unde Danckwarderode geheten unde nömen laten.

Anno 1030. Is de Kerke Danckwarderode in de Ehre der heiligen Apostoli Petri unde Pauli gewihet worden van Gadehardo dem Werthenden Bischoppe tho Hildesheim.

Anno 1117. Is gestorven Gertrudis Marckgraven Egbrechts Dochter/ tho Bronßwieck in de Kerke begraven worden/ Se hefft S. Autoris Lichnam van Trire tho Bronßwick bracht.

Anno 1172. Hefft Hertoge Hinrick de Lawe de olden Kerken up Danckwarderoda / in de Ehre S. Peters und Pauls gewihet / laten affbreken / un einen eignen Dohm in de Ehre S. Blasii un S. Johannis Baptisten laten uprichten/ un ock de 2. Capellen S. Jurgen un S. Gertruden / sambt andern drepeliken Gebäweten / düsser Stadt angerichtet/ den Hagen bemüren laten. In düssen sülven Jahre is ock de Lawenstein tho einer ewigen Gedechtnisse van Hertogen Hinriken upgerichtet worden.

Anno 1195. Is gestorven de waldige und stritbare Förste Hertog Hinrick de Lawe/ am Avende Jacobi Apostoli, unde in den Dohm begraven worden.

Anno

Anno 1208. Iß gestorven de Dürchlüchtige Förstinne Fruw Beatrix, Dochter de Römischen Küniges Philippi/ unde ein Gemahl Keiser Ottens des Veerden / eines Heren tho Brunswick/ unde alhier in de Kerken begraven worden.

Anno 1218. Is tho der Hartzborg de Grotmächtige Keiser Otto/des Nahmens de Veerde/ ein Herr tho Brunswik/ Hertogen Hinricks des Lawen Sohne/ gestorven/ und in de Kerken S. Blasii binnen Brunswik begraven worden.

Anno 1227. Hefft Paltzgrave Hinrick/ ein Herr tho Brunswik/ unde Keyser Otten Broder/ sinen lesten Dag in Gott beschloten/ unde alhier by sinen Voreldern begraven worden.

Anno 1252. Is affgescheiden van düssen Erdrike Otto, de Erste Hertoge tho Brunswik unde Lüneborg / unde in de Kerken S. Blasii begraven. By düsses Försten Tyden/ hefft de Herschop den Nahmen tho Sassen verloren/ unde des Kores, un dat Korforstendom Sassen wart Graven Albrechten van Anhalt van dem Keiser gegeven/ unde wahrt belehnet mit dem roden Schwerde/ welks alles thovoren den Heren tho Brunswick gehörde/ sünder by düssen Hertogen Tyden darvan verlohren worden.

Anno 1278. Starff Hertoge Albrecht / de Grote genömet / de Tydt sienes Levens mit mannigliken Kriegen beladen/ unde is tho S. Blasien begraven.

Anno 1292. hefft geendiget sinen letzten Dag Hertog Wilhelm / Hertogen Albrechts Sohne / un in dem Dohme tho Brunswyk begraven. By düsses Heren Tyden is dat Förstendom Brunswyk in drey Deele gedelet/ unde gescheden worden.

Anno 1373. Nah manniger Nedderlage unde verlornen Schlachtungen/ blef Hertog Magnus tho Brunswik twischen Deister und Leine / van Graven Otten van Schomborg bestre,

bestreden in der Schlachtung Doit / unde wort begraven tho S. Blasius binnen Bronswyk.

Anno 1400. Was eine Versamlunge der Corförsten / umb de Erwehlung eines Keysers tho Franckfort / under den meisten Stimmen dersülven gefallen up Hertogen Friederiken / Hertogen tho Brunswyk un Lünenborg / durch Insperunge des Bischoppes van Meintz aver viendlik vananander gahn / is Hertoge Friederik in gudem sekeren Geleyde by Frißler erstecken / un in den Doem tho Brunswyk begraven.

Anno 1427. Is Cecilia eine geborne Marckgrafinne unde Hertoges Wilhelms / genömet de Gades Ko / Gemahl / gestorven / unde in de Borg begraven worden.

Anno 1462. Is gestorven Mechtild geborn van Schomborg / Hertog Wilhelms ander Gemahl / unde toh S. Blasii bestediget worden.

Anno 1471. Is alhier in de Kerken begraven Förstin Helena eine geborne van Cleve / unde Hertog Hinrikes / Lappenkrieg genömet / Gemahl.

Anno 1482. Hefft sinen lesten Dag beschloten Hertog Wilhelm Godes Ko / ein ernstliker beroemter Kriegesförste / de by sinnen Dagen seven weldiglike Höverstriede erövert unde gewunnen / unde umb S. Jacobs Dag in den Doem toh Brunswyk begraven worden.

Anno 1514. Am Avende Joh. Baptistæ hefft Hertog Hinrik de older / van einem beroempten Kriegesförsten sinen lesten Dag in Freesland geendidet / unde alhier tho S. Blasien begraven worden.

XII.

XII.

GENEALOGIA
CELSISSIMORUM DUCUM BRUNSVVICENSIUM, ILLORUM, QUI Eimbek, Osterrot, Hamelen & Duderstad, cum attinentiis possederunt;
THEODORICO ENGELHUSIO auctore.

Duces *Henricus, Johannes* & *Wilhelmus*, fratres. *HENRICUS* vendidit *Duderstad* & *Geveldehusen* Archiepiscopo Maguntinensi, pecunia non soluta. Reliquit tres filios, *Ottonem, Balthasar*, & *Thomam. Otto* ivit ad *Italiam*, factus ibi magnus, duxit uxorem *reginam Neapolitanam*; fecitque fratrem *Balthasar* Dominum & Comitem *Fundorum*: qui ambo sepulti sunt in Italia. *Thomas* autem frater eorum, factus religiosus ordinis Eremitarum S. Augustini in *Northusen*, visitans Studium, & factus *Doctor S. Theologiæ*, multas reliquias portavit de Italia ad partes suas; de quibus sunt: *Quinq; spinæ de corona Domini*, & *duæ pre-*

 tiosæ

tiosa cruces in Walkenrede. Idem *Thomas* duxit duas sorores suas ad Italiam, quas ibi nobilibus maritavit. ERNESTVS possedit *Eimbek* cum attinentiis: JOHANNES frater ejus factus est Præpositus Eimbecensis; & WILHELM obiit sine prole. *Ernestus* Dux, dum quodam tempore equitaret per *Norten*, nihil adversi suspicans, captus est à *Henrico* de *Hardenberch*, & incippatus. Propter quod frater ejus *Johannes* Præpositus, collecto exercitu invasit *Norten*, villam comburens, & pecora cum aliis abducens. Cumque *Hardenberge* hoc vindicare vellent, captus est idem *Henricus* de *Hardenberg*, sedens in equo Ducis capti, & in *Castrum salis* incippatus. Quem cum *Johannes* Præpositus vellet occidere, prohibitus est à suis, ne similiter pateretur Dux captus. Facta igitur reconciliatione, liber abiit uterque cum suis ad propria *Ernestus* iste duxit uxorem filiam Comitis de *Eversteyn*, quæ peperit ei tres filios & filias. Filii sunt, *Albertus*, *Ernestus* & *Fridericus*. Filiam unam duxit *Vlricus* Comes de *Honsteyn*. ALBERTVS volens vindi-

vindicare patris injuriam, duxit exercitum grandem contra *Hardenberch*, *Norten* reformatam penitus destruendo. Erat hoc tempore Archiepiscopus Maguntinus in *Hilgenstad*, qui dicebatur venturus; quem ibidem Dux exspectabat per triduum, sperans se cum illis conflicturum. Postea vero aliquot annis elapsis, veniens Archiepiscopus cum *Balthasar* Marchione Misnensi, quid egerit, dictum est alibi. Alia filia *Ernesti* Ducis, facta est Abbatissa in *Osterrode*; frater ejus ERNESTVS Præpositus Eimbeccensis. FRIDERICVS, similiter frater, reliquit hæredem *Ottonem*, nunc Dominum *Eimbek*. ALBERTVS reliquit filium ERICUM: qui mortuus, reliquit tres filios, *Henricum*, *Ernestum* & *Albertum*; & filias.

FINIS.

NOTA.

De OTTONIS proxime laudati, *Brunsviga* & *Tarenti* Ducis, mariti *Iohannæ, Siciliæ Reginæ*, reverentia erga Romanam sedem, sed male ipsi compensata; animo pacis studioso, captivitate & fratris BALTHASARIS excœcatione, prudentia & felicitate in bellis quadraginta, liberatione è carcere, pietate erga Neapolitanos de se pessime atque conjuge meritos, & obitu denique beato, octuagesimo ætatis anno, videri pluribus potest *Theodoricus à Niem, Scriba* tum temporis *Pontificius*, & postea *Episcopus Verdensis*, libri I. *de Schismate*, capitibus, VI. quo Ipsum *Principum Patrem & normam Nobilium* vocat; VII. & IIX. ubi Eum *Virum Catholicum* dicit; XXIII. XXIV. XLIII. LX. & LXV.

APPEN-

APPENDIX
XXX. MONVMENTORVM INSIGNIVM, AD SERENISSIMÆ DOMVS BRVNSVIGIO - LVNEBVRGICÆ SPLENDOREM MAJESTATEMQVE SPECTANTIVM.

INDEX CAPITUM HUJUS APPENDICIS.

XII. Tra-

XII. *Traditio HENRICI super quibusdam villis in pago* Wetha *&* Tucherin, *anno 1040.*

XIII. *Traditio HENRICI III. de decem regalibus mansis, cuidam militi Marquardo facta. 1041.*

XIV. *VICTOR Papa II. Ecclesiam SS. Simonis Judæ in* Goslar, *ab HENRICO III. fundatam, in tutelam suscipit. 1056.*

XV. *LOTHARIUS IMP. confirmat venditionem curtis* Abbenrod, *in pago* Hartingo, *anno 1129.*

XVI. *Idem Imp. confirmat negotiatoribus in* Quitelinburgk *privilegia, à decessoribus suis ipsis concessa. 1134.*

XVII. *Fundatio Episcopatus ZVERINENSIS, facta per HENRICUM LEONEM, Bojoariæ & Saxoniæ Ducem. 1170.*

XIIX. *Literæ OTTONIS IV. Regis, continentes fines & terminos territorii divisi, ex parte fratris HENRICI Ducis. 1203.*

XIX. *Literæ HENRICI, Comitis Palatini, continentes terminos territorii divisi, ex parte OTTONIS CÆSARIS. 1023.*

XX. *Imp. OTTO IV. dotat Ecclesiam B. Mariæ apud* Severlingenborg/ *anno 1213.*

XXI. *OTTO, dictus PUER, proprietatem suam in* Santerslewen *confert possidendam Templo Hierosolymitano. 1215.*

XXII. *OTTO IMP. donat Ecclesiæ S.* Blasii *in* Brunswigk *locum* Severlingeborch/ *cum omnibus pertinentiis. 1218.*

XXIII. *OTTO Dux de Brunswigk confirmat Ecclesiæ* S. Blasii *bona, ab Ottone Imp. & Henrico Saxoniæ Duce ipsi concessa. 1223.*

XXIV. *FRIDERICUS II. IMP. revocat & cassat, quicunque in præjudicium Principum & Imperii in civitates irrepserant abusus. 1231.*

XXV. *Ejusdem Constitutio de Officialibus Episcopatuum, & bonis eorundem, sine consensu Ecclesiæ & Imperii non alienandis*

XXVI. AL-

XXVI. *ALBERTUS*, Ottonis Pueri *filius*, *dictus* Magnus, *inducias facit cum* Johanne *Episcopo Hildensemensi*, *1258.*

XXVII. *OTTO Alberti M. frater, Episc. Hildensemensis, abolet consuetudinem, qua Officiati suppellectilem defuncti Episcopi sibi vendicabant. 1268.*

XXIIX. *Transactio inter HENRICUM Mirabilem, & ALBERTUM Pinguem, ne alter sine alterius voluntate bona alienet. 1286.*

XXIX. *ALBERTUS Pinguis, donat ANNONI Militi de* Heymborch *omnem proprietatem, quam habet in villa* Höcherstorff. *1307.*

XXX. *HENRICUS*, Henrici Mirabilis *F. donat monasterio* Walckenrede / Oleum B. Catharinæ, *ac* duas spinas de *Corona* Servatoris. *1351.*

XXXI. *Pars Genealogiæ Ducum Brunsvicens. & Luneburg. ex fragmento quodam vetusto Chronici Brandenburgensis.*

I. OTTO

I.

OTTO MAGNUS FUNDAT ECCLESIAM MISNENSEM, ANNO DOMINI 948.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, OTTO divina favente clementia Romanorum Imperator Auguſtus. Quia Nos, qui quottidie multorum venerabilium virorum, Epiſcoporum, Abbatum, cæterorumque fidelium Chriſti Canonicorum & Monachorum, ad omne bonum præceptis inſtruimur, exemplis informamur, libenter ex abundanti rerum Noſtrarum copia, ad æternam beatitudinis vitam obtinendam, & ad temporalem feliciter tranſigendam, Divinâ auxiliante gratiâ quod noſtræ felicitati aptiſſimum credimus, incipere & in Domino perficere conſtanter elaboramus. Ergo manifeſtare ac notificare omnibus, tam futuris quam præſentibus, quam maxime deſideramus, qualiter nos pro remedio, & perpetuâ omniũ fidelium defunctorum animarum redemtione, nec

non pro Nostrâ sempiternâ salute, ac dulcissimæ collateralis Nostræ, charissimæque sobolis nostræ, perenni felicitate, ecclesiam in *Misnâ* Civitate collocari & construi præcepimus. Ubi etiam rogatu & consilio universorum Principum Nostrorum, in honorem Sancti Johannis Evangelistæ, sedem Episcopalem fieri decrevimus; Cui quendam Nostræ dilectionis intimum, nomine *Burchardum*, electum, & ad Præsulatus dignitatem in Christo consecratum, à Sanctæ Moguntinensis Ecclesiæ Venerabili Archiepiscopo, nomine *Hildeberto*, in laudem omnipotentis Domini, gloriosè præfecimus. Huic etiam Episcopatui, more antiquorum Imperatorum & Regum, Nostrâ Imperiali potestate terminum posuimus, ubi oritur fluvius, qui dicitur Orientalis *Milda*; inde usque quö idem fluvius intrat in *Albeam*, & sic sursum & ultra provinciam *Nisizi*, ad eundem terminum sine dubiô; nec non in alterâ parte *Luzizi* & *Sespoli*, illam videlicet infra eundem terminum, & inde in aquam, quæ dicitur *Odera*. Et sic *Odera* sursum usque ad caput ejus. Inde quasi rectâ viâ ad caput *Albeæ*. Inde deorsum in Occidentalem partem, ubi divisio confinium duarum regionum est *Behem* & *Nisenen*, ibidem

ibidem ultra *Albeam*, & per silvam in occidentalem partem, usque ad caput prædicti fluminis Orientalis *Milda*. Homines verò, qui infra prædictum terminum habitant, in omni fertilitate terræ, frugum & pecudum, in argento, vestimento, necnon, quod Teutonici dicunt *Ovarcapunca* & *Calunga* familiarum; Insuper totâ utilitate, & in omnibus rebus, quibus mortales utuntur diversis modis; Decimationes, quas Deo, cuncta gubernanti debent, ad Misnensem Ecclesiam primò Deo, deinde Sancto Johanni Evangelistæ, universâ dubietate procul remota, pleniter persolvant, referant & reddant.

Et si quis hoc Nostri Imperalis præcepti constitutum transgredi vel disrumpere præsumat, cum Ananiâ & Saphirâ, nec non cum Juda traditore, infernalis incendii tormentum patiatur, nec inde, nisi resipiscat, in perpetuum absolvatur. Et ut hæc Nostra concessio, in remunerationem Dei omnipotentis, firma stabilisque permaneat, hoc præceptum inde conscriptum, annulique Nostri impressione signatum, manu propriâ firmamus. Datum 3. Idus Januarii, Anno Incarnationis Domini Noningentesimo quadragesimo octavo, Indictione 8. Anno verò Magni Ottonis Imperato-

ris, in Domino feliciter regnantis, tertiò. Actum Moguntiæ feliciter. Amen.

Signum Domini OTTONIS Magni, & invictissimi Imperatoris.

Folcmarus Cancellarius, vice Hildeberti Archi-Capellani, recognovi.

II.

Hæc recentior manus scripserat in dorso libelli membranacei.

Confirmatio JOHANNIS Papæ super fundatione & donatione Monasterii

S. IOHANNIS MISNÆ, per OTTONES majorem & minorem.

Variantes lectiones ex alio MS. addidimus.

JOhannes Episcopus servus servorum Dei. Si semper sunt concedenda, quæ piis desideriis congruunt, quanto potissimum, quæ divini cultus prærogativa noscuntur, non sunt omnino abroganda; quæ sunt à largitoribus non solum poscenda, sed vi caritatis procul dubio exigenda. Habita igitur synodo, & multorũ venerabilium patrum, coëpiscoporumque nostrorum conventu, Romæ in Ecclesia B. Petri, principis Apostolorum, assidentibus augustissimis

mis Impp. Ottonibus utrisque; anno scilicet Imperii majoris sexto, minoris primo, iidem gloriosissimi Impp. postularunt, à nobis, quatenus monasterium, quod pro remedio animarum suarum primitus construi, & in honore B. Johannis Evangelistæ consecrari fecerunt, super ripam fluminis, cui nomen est Albia, incivitate Misina, *a* sita videlicet in provincia, quæ dicitur Talemence, *b* cui etiam monasterio virum venerabilem, nomine Burchardum, honorifice præfecerunt, privilegiis Apostolicæ sedis decoraretur; ut sub jurisdictione sanctæ Ecclesiæ nostræ, cui Deo auctore præsidemus, constitutum, nullius alterius ecclesiæ ditionibus summittatur. Pro qua re piis desideriis faventes, hac nostra auctoritate, id quod, exposcitur, effectui mancipamus: interponentes tamen ea, quæ & ipsi Principes nostri *c* innumeris privilegiis cupiunt exponi; & cunctis in Christo fidelibus manifesta fieri. More antiquorum Impp hi duo Imperatores, pater & filius, nobis assidentes, Misnensi Episcopatui terminum imposuerunt, nominando fines & determinationes locorum, sicut infra *d* tenetur: Ubi caput & fons est aquæ dicitur Odera, inde quasi recta via usque ad caput Albiæ; *e* inde deorsum in

a Misna, & sic deinceps.
b Dalemincia
c In nostris
d continetur
e Albiæ, & sic deinceps.

in Occidentalem partem, ubi divisio duarum regionum est Behem & *f* Nisinen. Ibidem ultra Albiam, & per silvam in Occidentalem partem, usque ad caput Mildæ, & sic deorsum per ambas plagas ejusdem fluminis, usque dum Milda intrat in Albiam, *g* (Nec non ob hoc diximus in Occidentali plaga, quia multæ villæ pertinent ad Orientales urbes infra eundem terminum) & sic sursum & ultra provinciam Nizizi, ad ipsum terminum sine dubio: nec non in altera parte Luzici, & Selpoli, & sic usque ad civitatem Sulpize, illam videlicet infra eundem terminum, & inde in aquam, quæ dicitur Odera, & sic Odera sursum, usque ad caput ejus. *h* Omnes vero, quemadmodum hi præsentes Imperatores, statuisse fatentur, qui infra istum terminum habitant, in omni fertilitate terræ, frugum & pecudum, in argento & vestimento, nec non quod Teutonici dicunt *i* Ubercota & Talunga, familiarum insuper tota utilitate, & in omnibus rebus, quibus mortales utuntur, in diversis modis decimationes, quas Deo cuncta gubernanti debent, ad *k* Misinensem Ecclesiam primo Deo, deinde S. Johanni Evangelistæ, universa dubietate procul remota, persolvant, referant & reddant. (Testantur

f Nisen.

g Desunt hic parenthesi inclusa.

h Homines vero

i Oberfuoffunga & calunga,

k Misnensem.

tur etiam iidem præsentes nobilissimi Imperatores, quasdam res sui juris ac proprietatis eidem sanctæ Misinensi Ecclesiæ, cui venerabilis Episcopus Burchardus præesse dinoscitur, pro remedio animarum suarum in proprium dedisse: hoc est, tributorum suorum in quinque regionibus partes decimas, in Talemence, in Nisa, in Milczsane, in Luzice, in Diedesa: ut antea, quam Comes earundem regionum partem sibi ab ipsis concessam auferat atq; distribuat, decimas per totum ac per integrũ, jam dictæ sanctæ Dei Ecclesiæ persolvat, id est, in melle, crusina, solutione argenti, mancipiis, vestimentis, porcis, frumento; & in omnibus rebus, quæ ad fiscum prædictorum Impp. pertinere videntur sanctæ Misinensi Ecclesiæ, nec non S. Johanni Evangelistæ, sui juris theloneum, à civitate, quæ dicitur Belegora, usque ad ejusdem Misinensis Ecclesiæ portum, sursum; indeque denuo per ambas plagas præfati fluminis Albiæ deorsum, sicque infra præfinitum terminum, ubicunque manus negotiatorum ultra Albiam huc illucque sese diverterit, ex integro & absque ulla contradictione, eidem prænominatæ sedi Misinensi, persolvi & tradi perenniter constituisse.

Desunt * sequentia * parenthesi inclusa, in MSto altero.

ſtituiſſe.) Et ideo in Chriſto ſanximus, firmiterque conceſſimus, ut nullus Metropolitanus, nullus Epiſcopus, nulla etiam magna vel parva alterius ordinis & gradus perſona, præter ſedis Apoſtolicæ antiſtitem, infra terminos Miſinenſis, Eccleſiæ, cui venerabilis Epiſcopus Burchardus præeſſe dinoſcitur, quenquam ordinare, dijudicare, excommunicare, vel aliquid temere exercere, ullo modo præſumat. Statuentes etiam Apoſtolica cenſura, ſub divini judicii obteſtatione, & validis atque atrocibus anathematis interdictionibus, ut nullus Imperator poſthac, aut rex nullus, ſive quispiam alius, cujuſcunque ſit dignitatis poteſtate præditus, ejusdem eccleſiæ cauſis præſumat incumbere, vel minimum quiddam ex his, quæ ad illud Monaſterium S. Johannis pertinere videntur, cui Burchardus Epiſcopus præſidet, aut ſibi temere vindicare, aut alicui magnæ parvæque perſonæ pro beneficio dare, aut quo quolibet modo inde auferre, vel alienare audeat. Promulgamus etiam, & hoc auctoritate B. Petri Apoſtolorum Principis, coram Deo, & terribili ejus futuro examine per hujus noſtri privilegii atque conſtituti vim interminamus,

minamus, ne quis mortalium sibi licere existimet, aliquid ex possessionibus Misinensis Ecclesiæ, tam ex his, quæ antehac à gloriosissimis Imperatoribus Ottone, & ejus æquivoco filio, vel à cæteris Christianis, eidem sancto loco oblata atq; collata sunt, quæque postmodum sunt conferenda, ut profecto juxta id, quod subjectum est, idem venerabilis locus Apostolico hoc privilegio inconcusse donatus permaneat. Si quis autem, quod minime optamus, nefaria autoritate hæc, quæ à nobis ad laudem Dei pro stabilitate sæpedicti monasterii statuta sunt, refragare præsumserit, nostrique præcepti transgressor extiterit, sciat se anathematis vinculo innodatum, & cum diabolo atque Juda, traditore Domini nostri Jesu Christi, æterni incendii suppplicio deputatum. At vero qui pio intuitu hujus Apostolici constituti observator extiterit, benedictionis gratiam à misericordissimo Domino Deo multipliciter consequatur, & vitæ æternæ particeps effici mereatur. Scriptum per manus Stephani, Scrinarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Decembri, Indictione undecima. Signum Domini Ottonis Magni, Imperatoris Augusti.

Signum Domini Ottonis minoris, Imp. Augusti. Petrus Ravennensis Ecclesiæ Archiepiscopus subscripsit. Rodaldus Patriarcha Aquilejensis subscripsit. Sigolfus Episcopus S. Placentinæ Ecclesiæ consensi & subscripsi. Udalricus Episc. S. Pergamensis Ecclesiæ consensi & subscripsi. Siggo Pledensis Ecclesiæ Episcopus, consensi & subscripsi. Benedictus Episcopus S. Fulinensis Ecclesiæ consensi & SS. Johannes Episcopus S. Normiensis Ecclesiæ subscripsit. Johannes Episcopus S. Galliensis Ecclesiæ subscripsit. Johannes
Armensis. Episcopus S. Arinensis Ecclesiæ interfuit & subscripsit. Humbertus Episcopus S. Laviensis Ecclesiæ, consensi & subscripsi. Gerhardus Episcopus Faventinæ Ecclesiæ consensi & subscripsi. Aufredus Episcopus Verdecensis Ecclesiæ con-
Senebius. sensi & subscripsi. Zenobius Episcopus Fesolanæ Ecclesiæ, consensi & subscripsi. Gaidolfus
Gardulfus. Episcopus Firminæ Ecclesiæ, consensi & subscripsi. Ego Petrus, Episcopus Kamerinæ Ecclesiæ, ibi fui & subscripsi. Eberhardus Episcopus Aretinæ Ecclesiæ, consensi & subscripsi. Stepha-
Narinensis nus Episcopus Narniensis Ecclesiæ, consensi &
Castrensis. subscripsi. Gisilbertus Episcopus Castrenensis Eccle-

Ecclesiæ, consensi & subscripsi. Alberinus Episcopus Ausculanus subscripsi. Antonius, Brixinensis Ecclesiæ Episcopus, subscripsi. Diodericus Metensis Ecclesiæ Episcopus, subscripsi. Lanvvardus Mindensis Episcopus subscripsi. Hucbertus Episcopus subscripsi. Luzo Episcopus Cremonensis subscripsi. Johannes Episcopus Turdonensis subscripsi. Adelbertus Episcopus subscripsi. Otger Episcopus subscripsi. Sichelinus Florentinus Episcopus subscripsi. Albericus Episcopus subscripsi. Artingo Ausinianæ Episcopus subscripsi. Insinno Laucanensis Ecclesiæ Fpiscopus subscripsi. Ertemarius Ancias Episcopus subscripsi. Julianus Episcopus Nucerinus subscripsi. Stephanus Cerviæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi. Atto, Senegaliæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi. Lupus Spoltrinus Episcopus subscripsi. Lyndo Clusianæ Ecclesiæ Episcopus subscripsit. Data III. Non. Januarii, per manus Widonis Episcopi Sanctæ Silvæ Candidæ Ecclesiæ, & Bibliothecarii Sanctæ sedis Apostolicæ. Anno Deo propitio, Pontificatus Domini Johannis summi Pontificis, & universalis tertii decimi Papæ, in sacratissima sede B. Petri Apostoli tertio,

Dietericus Mendensis

Lizo

Sigishelmus.

Astingo Ausinianensis.


Luzyeno Lucanensis

Termensis

Spoletinus Dusianæ.

Guidonis.

tio, Imperantibus Dominis piissimis Augustis Ottone & ejus æquivoco filio, à Deo coronatis magnis Imperatoribus. Anno Majoris Imperii sexto, & Minoris primo, in mense Januario, Indictione supra dicta undecima.



III.

OTTO II. IMP. DONAT MONASTERII Mymelebin quædam loca & castella, juxta Orientalem partem Albis fluminis sita, anno 981.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. OTTO, divina favente clementia Imperator Augustus. Noverit omnium fidelium Nostrorum, tam

tam præſentium quam futurorum cautela, qualiter nos, interventu & petitione contẽctalis Noſtræ THEOPHANIÆ, Co-Imperatricis Auguſtæ, pro remedio animæ Noſtræ, quin & ejusdem contẽctalis Noſtræ prænuncupatæ, nec non & pro ſalvatione animæ genitoris Noſtri commoti, videlicet Co-Imperatoris Auguſti, Noſtræ proprietatis loca quædam & caſtella, in partibus Slavoniæ, Olſint / Domnſki / & Swecie dicta, in pago *Scitici* nuncupato, in Comitatu *Geronis* Comitis, juxta Orientalem partem Albis fluminis ſita, ad quendam locum Mymeleibin dictum, in honorem S. Dei genitricis, ſemperque Virginis Mariæ, cum Monachis, ſub monaſtica inſtitutione & regula degentibus, à Nobis, Noſtraque contẽctali THEOPHANIA, ſpeciali devotione & ſumtu inceptum & conſtructum, ubi idem jam præfatus genitor Noſter diem ſortitus eſt ultimum, cum Burgvvardis & omnibus utenſilibus, illuc rite pertinentibus, in perpetuum tradidimus, in mancipiis utriusque ſexus, ædificiis, terris, cultis & incultis, areis, nemoribus, ſilvis, venationibus, aquis aquarumve ductibus, molendinis, piſcationibus, pratis, paſcuis,

campis, viis & inviis, exitibus & reditibus, quæsitis & inquirendis, & utilitatibus, quæ adhuc dici aliquo modo aut nominari possunt. Ea videlicet ratione, ut Abbas cum Monachis in prædicto loco **Mymeleibin** Deo famulantibus, liberam inde teneat potestatem, tenendi, commutandi, seu ad eorum necessaria, prout iis visum fuit, constituendi atque disponendi. Et ut hæc traditionis Nostræ donativa, per tempora succedentia, à nullo unquam divelli vel inquietari possit, hoc Nostræ Majestatis præceptum inde conscribi, manuque propria subtus notatum, sigilli insuper Nostri impressione jussimus sigillari. Data XII. Kal. Augusti, anno Dominicæ incarnationis DCCCCLXXXI. Indictionis VIII. anno vero Regni *secundi Ottonis* XXI. Imperii XIV. Actum *Walahusen*.

Signum Domini OTTONIS, invictissimi
Imperatoris Augusti.

Hildebrandus Episcopus & Cancellarius, ad vicem
VVillegisi ArchiCapellani notavi.

IV. OT-

IV.

OTTONIS III. super Monasterio Burchorst, in diœcesi Monasteriensi, Diploma, datum anno 989.


IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, *Otto* divina favente clementia Rex, omnibus fidelibus nostris, præsentibus scilicet atque futuris, notum esse volumus, quomodo quædam nobilis matrona, *Berchta* nominata, in quodam cœnobio *Burchurst* dicto, à fundamento concepit ædificare ecclesiam, in honore sancti *Nicomedis* martyris consecratam, & illic omnia prædia sua sibi juste in hæreditate cum consensu & approbatione cohæredum suorum condonavit. Pro rei tamen firmitate præfatam ecclesiam, cum omnibus appendiciis suis, ne ab invidis avelli aliquid inde possit, in jus & tuitionem bonæ memoriæ avi nostri, *Ottonis* Imperatoris videlicet Augusti, tradidit, deprecans illius gratiam, ut dicta ecclesia, & omnia illuc ab ea tradita, in mundiburdium sanctæ Magdeburgensis ecclesiæ, per ejus præceptionem & privilegium donaretur. Ille autem ejus votum benignè suscipiens,

piens, eandem ecclesiam, cum omnibus illuc traditis vel donandis, Magdeburgensi ecclesiæ sui præcepti auctoritate subjugavit & confirmavit, ea scilicet ratione, ut sub ejus patrocinio perpetim consistat: Et Archiepiscopus Parthenopolitanus, quando opus venerit, Abbatissam & Advocatum ibi constituat, atque à præfato monasterio census decem solidorum, sicut eadem matrona statuit, ac fieri rogavit, propter subjectionem ad suam ecclesiam, quotannis persolvatur. Sed cùm post mortem supradictæ *Berchtæ*, inter filiam ejus *Berchteydam*, & fidelem nostrum *Gisalharium*, prælibatæ urbis Parthenopolitanæ secundum Archiepiscopum, altercatio quædam magna oboriretur de prædiis, quæ ipsa Ecclesiæ à se constructæ tradidit, eo usque excrevit eadem contentio, quod finiri non potuit, nisi in nostra præsentia. Nos autem fidelium nostrorum, *Willigisi* videlicet Maguntini Archiepiscopi, & *Retharii Padebrunnensis* Episcopi, pium consilium, aliorumque quàm plurimas rectas suasiones sequentes, ut lis oborta dissolveretur, & Dei servitium non deficeret, in præfato monasterio, nostra regia potestate, fecimus inter eos reconciliationem utrimque comprobatam, ita ut Archiepiscopus

piscopus jam dictus *Gisallarius*, ob nostrum votum & jussum comprobaret, quod eadem *Berchteyda* à manu Advocati ejus *Wigmanni*, pro reconciliatione susciperet omnem hæreditatem sui patris *Lutberti*, in sua vestitura semper tenendam: Et è contra, ut sanctimoniales præscripti Monasterii, ad Dei servitutem præbendas deinceps habeant per suam manum, ipsâ filiis ejus *Bernhardo* & *Turingo* consentientibus, pro nostro voto & jussu, in Ecclesiæ jus ad integrum dimitteret, ac redderet cunctam proprietatem vitrici ejus *Bernhardi*, perpetualiter ibi tenendam, excepto uno loco, qui dicitur *Curnii*, quem ipsa concedente Archiepiscopo & ejus Advocato jam dicto *Wigmanno*, cum decem mansis & familiis, pro stabilitate reconciliationis, semper possidendam accepit. Hac itaque reconciliatione utrimque comprobata, & facta, ipsius & filiorum ejus rogatu, atque prædictis fidelibus nostris *Willigiso* Archiepiscopo, & *Rethario* Episcopo, cæterisque perplurimis intercedentibus, quæ in Ecclesiæ jus pro reconciliatione dereliquit, nos noviter nostra autoritate ad eandem ecclesiam donavimus. Et ne inde ab aliqua persona invida, quod à nobis illuc donatum est, seu ab aliis traditum sive donatum

unquam divelli poſſit, hac noſtra præceptione confirmavimus, & inſuper noſtro regio juſſu omnino interdicimus, ut nullus Dux vel Comes, aut regius exactor, ſeu alia quælibet judiciaria perſona, magna ſive parva, in agendis rebus ipſius Eccleſiæ, aut prædiis illuc traditis, aliquam dehinc poteſtatem exerceat, niſi ſolummodo poteſtativus Advocatus, ab Archiepiſcopo Magdeburgenſi ſuper idem monaſterium conſtitutus. Et ut hæc noſtræ donationis traditio & confirmatio, præſenti ac futuro tempore firma ſtabiliſque permaneat, hoc præceptum inde conſcriptum, ſigilli noſtri impreſſione ſignari juſſimus, manuque propria, ut infra videtur, corroboravimus.

SIGNVM DOMINI OTTONIS GLORIOSISSIMI REGIS.



Hildibal-

Hildibaldus Episcopus & Cancellarius, vice *VVilligisi* Archicapellani, recognovi

(L. S.)

Data v. Idus Februarii, anno Dominicæ incarnationis DCCCC°. & LXXX°. VIIII°. Indictione II. Anno autem tertii *Ottonis* regnantis sexto. Actum *Arvite* feliciter, Amen.

V.

OTTONIS III. Diploma, super Bitrisi Burgvvardio, dato Sigiberto Comiti per præfatum Regem, anno 995.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Otto divina favente clementia rex. Noverit omnium fidelium nostrorum, tam futurorum, quàm præsentium industria, qualiter nos ob interventum & petitionem fidelium nostrorum, *Willigisi* videlicet, Moguntinæ sedis venerabilis Archiepiscopi, nec non & *Gisalharii* honorandi Archipræsulis, ac *Bernhardi* Ducis, cuidam fideli nostro, *Sigeberto* Comiti, de nostra proprietate dedimus quendam Burguardium, *Bitrisi* nomine, in pago *Morasani* vo-

cato, ac in ipsius Comitatu jacentem, atque eundem burgvvardium, cum suis omnibus utensilibus, hoc est areis, ædificiis, mancipiis utriusque sexus, terris cultis & incultis, agris, pratis, campis, pascuis, silvis, venationibus, aquis, aquarumve decursibus, piscationibus, molendinis, viis & inviis, exitibus, quæsitis & inquirendis, cunctisque aliis appendiciis, quæ adhuc dici, inveniri aut nominari possunt, ei in proprium tradidimus, exceptis hiis, quæ pro nostræ remedio animæ, scilicet villis, ad Monasterium *Mimileve* vocatum, commodavimus; & una villa, quam fideli nostro *Diosoni* donavimus, & tribus mansis, *Luttago* Marascalco nostro à nobis antea donatis: Ea videlicet ratione, ut prædictus Comes *Sigibertus*, de præfato Burguardio sibi à nobis tradito, liberam dehinc faciendi quid velit potestatem habeat, sive eum tradere, vel commutare aut vendere, seu magis sibi retinere voluerit. Et ut nostra hæc regalis traditio præsenti ac futuro tempore firma & inconvulsa permaneat, hoc præceptum inde conscriptum sigillo nostro signare jussimus, manuque propriâ, ut infra videtur, corroboravimus. Signum Domini *Ottonis*, gloriosissimi & invictissimi regis. *Hildibaldus* Episcopus

pus & Cancellarius vice Willigisi Archiepiscopi recognovi.

Data VII. Kal. Novembr. Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXCV°. Indictione VIII. Anno autem *tertii Ottonis* regnantis. XII. Actum *Sceninge* feliciter Amen.

VI.

OTTO III. IMP. CONCEDIT Matronæ cuidam HELEMBVRG potestatem faciendi congregationem Sanctimonialium in villa Visbike, anno 1002.

IN nomine omnipotentis Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi; Otto divina favente clementia, rex. Notum sit omnibus fidelibus nostris tam præsentibus, quam absentibus, nos tradidisse, cuidam venerandæ Matronæ, nomine *Helemburk* prædium, quod nos habuimus in villa, quæ dicitur *Visbiki*, jure hereditario, & in aliis locis, quorum nomina hic subter collecta sunt: Itaque eadem venerabilis præscripta *Helemburk* postea adiit nostram serenitatem, rogans, quatenus concederemus sibi, ut congregationem sanctimonialium faceret congregari in antedicta

tedicta villa *Visbike*: hanc ipsam petitionem concessimus in nomine Domini nostri Jesu Christi, & pro amore Sanctæ Mariæ, omniumque Sanctorum, pro remedioque animarum *Ruperti* Domini sui, & *Richardi* & *Alfelebe* filii sui, nec non & aliorum suorum proximorum. Hanc etiam illis concedimus potestatem, ut habeant, seu inter se, sive aliunde, Abbatissam eligendi liberam ac propriam facultatem, ac nulli seculari dominio sint subjectæ, excepto nostro, quantum Advocatus ac Defensor Deo annuente esse volumus. Percipientes & jubemus, ut nullus judex publicus, neque quilibet ex judicis potestate, homines prædictæ ecclesiæ, liberos seu Colonos, litos aut servos, in aliquo negotio injuste distringere præsumat, nisi tantum advocatus loci illius. Hæc sunt prædia, quæ pertinent ad supradictam Ecclesiam Visbike. In illo loco sex mansi pleni; Insuper etiam in his locis ita nominatis *Unendredesa*, id est, vulgariter *Unighaldeshusen*, Tres mansi, *Weneshusen*, unus mansus Haddeshusun/ unus mansus in *Wadenhusen*, unus mansus *Takenhusun*, & duo mansi, & in aliis locis, ad ministerium Ecclesiæ Visbike, viginti novem mansi. In pago *Tilithi*, In Comitatu *Helimanni* Comitis,

iterum

iterumque in pago *Merstem*, in Comitatu ejusdem Comitis, octo mansi, & in pago *Laginga* sex mansi, in Comitatu *Bodican*, & in pago *Westfalia*, in Comitatu *Henrici* Comitis, decem & octo mansi, & in Comitatu *Huoduersen* sex mansi, & in villa, quæ vocatur *Pannesberge*, duo mansi, *Frabtthorpe* unus mansus, in *Amon* tres mansi, & in Comitatu *Unehardi* Curthen, nomine *Tultberg* quinq; mansi.

Datum quarto Idus Januarii, Anno Dominicæ incarnationis M II. Regnante pio rege Ottone, anno vigesimo. Actum *Brugthem*, feliciter in Domino.

VII.

HENRICVS II. AD PETITIONEM ARNVLPHI, HALBERSTADENSIS EPISCOPI, tradit ad altare S. Stephani civitatem ILSINABVRG. Anno 1003.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, *Henricus* Divina clementiâ Rex. Si rationabiles fidelium petitiones (quæ nobis ad incrementum Divini servitii ingeruntur) ad effectum perducimus, æternæ retributionis in cœlum meritum, & præsentis obsequii in cœlo lucrũ, nobis inde comparari, liquido

quido confidimus. Proinde notum sit omnibus fidelibus nostris, præsentibus scilicet & futuris, qualiter nos per interventum familiarium nostrorum, *Bernhardi* videlicet Ducis, *Henriciq;* Comitis, & *Burchardi* Comitis Palatini, piæ petitioni venerabilis viri *Harnulphi*, Halberstadensis Ecclesiæ Episcopi, assensum præbentes, ad altare S. Stephani Protomartyris partem quandam de prædio nostri juris, per hoc regale præceptum, stabili perenniter dono tradidimus, id est, quicquid in civitate *Ilsinaburg* (quæ sita est in pago *Hardegowe* & in Comitatu *Riechperti*) nostro tempore regali pertinet potestati, intra muros vel extra, cum omnibus appendiciis, possessionibus & utilitatibus, eidem prædio juste & legaliter pertinentibus, mobilibus & immobilibus, servis & ancillis, areis, ædificiis, terris cultis & incultis, pratis, pascuis, sive compascuis, sylvis, aquis, aquarumque decursibus, molendinis, piscationibus, viis & inviis, exitibus & reditibus, quæsitis & inquirendis, ac cæteris (quæ quomodolibet modo rite vocari aut inveniri possunt) utilitatibus & pertinentiis: Eo scilicet tenore, quatenus præfatus Episcopus *Arnulphus*, suique in perpetuum successores, liberam deinceps habeant potestatem, quicquid

quid sibi in usus suos, & prædictæ Ecclesiæ, libere faciendi, omnium personarum contradictione remota. Et ut hæc nostræ traditionis auctoritas stabilis & inconvulsa permaneat, hanc nostri præcepti paginam inde conscriptam manu propria roborantes, sigilli nostri impressione insigniri jussimus.

Signum Domini *Henrici*, Regis invictissimi



Engelbertus Cancellarius vice *Willigis* Archicancellarii recognovi

Data 17. Cal. Maji, Anno Dominicæ incarnationis millesimo tertio, indictione prima, Anno vero Domini *Henrici* Regis primo. Actum Altstädte.

IIX.

HENRICVS IMP. SVSCIPIT IN Mundiburdium & defensionem Monasterium in Visbike. anno 1004.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, HENRICUS Divina favente clementia Rex. Notum sit omnibus fidelibus, tam præsentibus quam & fu-

turis, qualiter per interventum Dilectissimæ conjugis nostræ, CUNIGUNDÆ videlicet Reginæ, quoddam monasterium in villa, quæ dicitur *Visbike*, constructum, Canonicarum sanctimonialium congregatione, à Venerabili matrona, nomine *HelmburgHa*, quondam institutum, ubi nunc temporis religiosi nominis Abbatissa *Alfheid* præesse videtur, in nostrum Mundiburdium & Defensionem, cum omnibus ibidem collatis aut conferendis, per hanc regiam auctoritatem recepimus. Præcipientes ergo jubemus, ut nullus judex publicus, neque aliquis ex judiciaria potestate, Homines prædictæ ecclesiæ, Liberos seu colonos, litos aut servos vendere, aut aliquo injusto negotio distringere præsumat. Præsertim concedimus insigni potestate regali, ut habeant Sanctimoniales illam liberam potestatem, per successiones temporum, inter se, sive aliunde, Abbatissam eligendi, nullius seculari dominio subjectæ, excepto nostro, qui earum Defensor, Deo annuente, esse volumus. Sit & in potestate ejusdem loci Abbatissæ, unâ cum congregatione illi subjecta, hæc stabilis & inconvulsa libertas, quatenus Advocatum eligant, qui

qui Homines Ecclesiæ distringat, si redditus sui juris experti fecerunt rebelles. Et ut hæc nostra confirmatio permaneat; Hanc nostri præcepti paginam inde conscriptam manu propria roborantes, insigniri jussimus. Data XIII. Kalendas Augusti, Anno Millesimo quarto incarnationis Dominicæ, Indictione prima, Domini Henrici Secundi Regni tertio. Actum in villa Osen; In Dei nomine feliciter. Amen.

IX.

CONSTITVTIO HENRICI IMP. II. facta in Consistorio regali GOSLARE, anno 1025.

ARchitecti Catholicæ doctrinæ, quæ sectanda forent, fidei quasi fundamenta locantes, hoc evidenter noscuntur probasse, sive gregatim seu separatim, ut gloriemur in laude Christi. Ergo anno MXXV. in consistorio, regali GOSLARE præminenti, in Ecclesiæ scilicet australi lateri eodem adhærente, collecta fidelium condunatione, propositum est tractandum quodque utilitatis salutare. Cujus con-

ventus primatui HENRICUS, qui tunc temporis reipublicæ monarchiam strenue gubernabat, assederat, & constipatione Episcoporum, Geronis videlicet Parthenopolitani Archiepiscopi, & Unovvani Bremensis Archiepiscopi, Arnolfi quoque Halverstedensis, & Bennonis Slavensis, Thioderici Mindensis & Thioderici Mimigardivordensis, & Ekkihardi Slesvvigensis Episcopi circumfultus undique, fasque nefasque æqua trutinationis lance pensabat. E quibus vero, inter quæstiones citra ultraque habitas. BERNWARDUS sanctæ Hildinishemensis Ecclesiæ piæ memoriæ antistes, quem tanti negotii principatus attinebat, cujusdam ambiguitatis indaginem investigabat. Quippe, cum quilibet Episcopus vel cujusvis dignitatis quisquam, proprietatis suæ aliquem ad sacerdotalem provehens gradum, suæ potestatis juxta collibitum esse promiserit, insuperque sui juris seu alieni sibi Ecclesiam clementi benignitate adquisierit, sed is succedentibus prosperis, altioris meriti elatione, sese super verticem extulerit, donumque divinitus collatum in turpe converterit emolumentum, adeo ut nobilitate generis

suc-

ſuccenſus, quandam in matrimonium uſurpaverit liberam, eo tenore, ut prolem ex eadem derivatam, quoquo modo abalienet ſervitio ejus, cujus ipſe ſuberat dominio; quid potiſſimum exinde concors illorum fieri decreviſſet aſſenſio. His ita prælibatis, procerum unusquisque, pro induſtriæ ſuæ æſtimatione hujus rei propoſitum longa alternabat deliberatione. Sed tandem hujus hæſitationis anfractus Imperatore anticipante, omnis illius concionis conſeſſus in ſuffragium hujuſmodi aſſurgit, acclamantque cuncti, legitime oportere, tam ipſam, quam ejus poſteritatem, eodem, quo & ipſe, ſervitutis jugo ſuccumbere. Addunt nihilominus præſentis pactionis decretum, Romani imperii majeſtate ſancitum, nullo penitus in perpetuo jure ſolvendum, maxime, cum in beneplacito univerſalis Papæ proſpectum vegetet ſanctæ Eccleſiæ.

X.

CONRADVS REX SVSCIPIT in Mundiburdium & defensionem Monasterium in Visbike, anno 1025.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, CONRADUS Divina favente clementia Rex. Notum sit omnibus fidelibus nostris, tam præsentibus quam futuris, Qualiter quædam venerabilis Abbatissa, nomine *Abiig*, Antecessorum nostrorum, Regum scilicet vel Imperatorũ scripta, suæ Ecclesiæ, quæ est in *Visbike* collocata, tradita, in nostram præsentiam contulit, eademque ex nostra regali potestate confirmari ac corroborari quam humilime rogitavit. Cujus petitioni non immerito assensum præbentes, ob amorem Dei, nostræque remedium animæ scilicet, & per interventum *Sigesberti*, Sanctæ Mindensis Ecclesiæ reverendi præsulis, nec non *Bernhardi* Decani Ecclesiæ, & nostrorum fidelium, jam dictam Abbatissam, una cum congregatione sibi subjecta, omnibusque illuc rite pertinentibus, in nostrum Mundiburdium & Defensionem ex integro suscepimus. Præcipientes igitur

tur jubemus, ut nullus judex publicus, neque aliquis ex judiciaria potestate, Homines prædictæ Ecclesiæ, liberos seu colonos, litos, aut servos, in aliquo negotio nunc distringere præsumat, nisi tantum Advocatus loci illius, habeantque sanctimoniales illæ liberam potestatem per successionem temporis inter se, sive aliunde, Abbatissam eligendi, nulliusq; seculari Dominio sint subjectæ, excepto nostro, qui earum Defensor, Deo annuente, esse volumus. Hæc sunt prædia, quæ pertinent ad supradictam Ecclesiam Visbiki. In illo loco sex mansi pleni: insuper in his locis ita nominatis, *Unendredasa*, id est, *Unigbalteshusun*, quatuor mansi; *Benneshusun*, unus mansus; *Haddeshusun*; unus mansus; *Trakanhusun* duo mansi; Et in aliis locis ad ministerium Ecclesiæ *Visbiki* viginti novem mansi in pago *Tilitthi*, in Comitatu *Hirimanni* Comitis; iterumque in pago *Merstem*, in Comitatu ejusdem Comitis, octo mansi; & in pago *Lagunga* sex mansi, in Comitatu *Bodican*, in pago *Westfala*, in Comitatu *Henrici* Comitis decem & octo mansi; Et in Comitatu *Hroduverkesen* sex mansi; & in villa, quæ vocatur *Hramnesberg*, duo mansi; *Frattberpe* unus

mansus


mansus, in *Amon* quatuor mansi, & in Comitatu *Virinhardi* curthem, nomine *Thultbergh*, quinque mansi, in *Tundern* sex mansi, in *Hartungehuson* villa integra. Et ut hæc nostra confirmatio stabilis & inconvulsa permaneat, hanc nostri præcepti paginam inde conscriptam manu propria roborari, & sigilli nostri impressione insigniri jussimus. Datum decima octava Januarii, Indictione octava, Anno Dominicæ incarnationis Millesimo vigesimo quinto, Anno autem Domini *Conradi* secundi regis, Actum Corbejæ.

XI.
CONRADVS IMP.
IN MEMORIAM TRANSLATIONIS SEDIS EPISCOPALIS, CIZA NVMBVRGVM FACTÆ,
Numburgensi Ecclesiæ curtem suam regalem Balgstädt/ in Thuringia prope Numburgum sitam, donat, 1032.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis Conradus, divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus. Cum credamus & certe sciamus, nos omnibus Ecclesiis ex indita nobis

nobis Dei misericordia debitores, iis maxime succurrendum esse non dubitamus, quæ nostris antecessoribus inchoatæ, nutantes & pauperrimæ, vix ad tempora nostra duraverunt. Quarum nimirum necessitati condolentes, & Dei nutu consulere cupientes, Episcopatum in Citicensi loco, à Venerabili progenitore nostro OTTONE constructum, ad NUWENBURG, propter pacis firmitatem, & Religionis augmentum, transtulimus & immutavimus, in memoriam scilicet OTTONIS, quin & Domini nostri HENRICI Imperatoris, hoc facientes, & spem requietionis eorum in hac re proculdubio considerantes. Proinde omnibus Christi Nostrique fidelibus notum esse volumus, qualiter nos ob minime denegandum interventum dilectissimæ conjugis nostræ GISILÆ, Imperatricis Augustæ, amantissimæque prolis Nostræ HENRICI Regis, nec non ob piam petitionem HUNFRIDI Magdeburgensis Archiepiscopi, fidelisque nostri EKKARDI Marchionis, & ob frequens servitium cari nostri KALONIS, Episcopi Ecclesiæ S. Petri in Nuwenburg / (cui ipse præsidet) Balgstädt / Nostram regalem cortem, in pago Thuringiæ, in Comitatu MADELGOHONIS sitam, cum

omnibus attinentiis, sylvis, cultis & incultis, agris, pascuis, campis, aquis, aquarumve decursionibus, mancipiis, exitibus & reditibus, venationibus, quæsitis & inquirendis, seu cum omni utilitate, quæ nominari vel scribi potest, in proprium tradidimus: Ea videlicet ratione, ut ipse suique successores, de eadem corte in his omnibus, quæ ad ejusdem Ecclesiæ pertineant utilitatem, liberam potestatem habeant faciendi. Et ut hæc nostræ traditionis auctoritas stabilis & inconvulsa omni permaneat ævo, hanc paginem inde conscriptam manu propria corroborantes sigilli nostri impressione jussimus insigniri. *In sigillo CONRADVS in sella cum pomo & corona Imperiali sedens conspicitur.*

Signum Domini CONRADI  Romanorum Imperatoris invictissimi.

Burchardus Cancellarius, vice Burchardi Archicancellarii recognovi.

Data

Data XVI. Kal. Januarii, Indictione XV. Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo XXX. secundo: anno autem Domini CONRADI regnantis IX. Imperantis V. Actum QVETLINBURGI feliciter. Amen.


XII.
TRADITIO
HENRICI III. ROMANORUM REGIS
super quibusdam villis in pago WETHA & TUCHERIN. 1040.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis HEINRICUS, Divina favente clementia Rex, Omnibus Sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrisque fidelibus, tam præsentibus quam & futuris, notum fieri volumus: Qualiter nos pro remedio animæ nostræ, genitorisque nostri CHUONRADI, sive etiam beatissimæ memoriæ conjugis nostræ CHUNIGUNDÆ, per nostram præceptalem auctoriratem, donamus, tradimus, nec non concedimus, Sacrosanctæ Nyobergensi Eccclesiæ, in honorem beatorum Apostolorum Petri & Pauli constructæ, quicquid per beneficium *Sememizl* tenuit vel habere visus fuit in pago, qui dicitur *Weita*, & in pago similiter qui vocatur

Tucherin; nominative scil. villam quæ *Batici* nominatur, & *Bucinawiz*, *Grodzane*, *Gostici* atque *Grozlino*, cum omnibus pertinentiis, appenditiis & utilitatibus suis, videlicet cum terris cultis & incultis, herbis, pratis, sylvis, pascuis, venationibus, aquis, aquarumve decursibus, molendinis, piscationibus sive etiam utriusque sexus familiis, aldionibus vel Smurdis, ea videlicet ratione, ut tam Episcopus KADELOHUS, qui modo ibi præesse cognoscitur, quam alii sui successores, habeant, teneant, firmiterque possideant, atque in usum Ecclesiæ, prout sibi libitum fuerit, ordinent vel disponant, omnium hominum contradictione vel molestatione remota. Si quis autem huic Nostræ traditioni obviare præsumserit, C. libras puri auri se compositurum cognoscat, medietatem Kameræ Nostræ, alteramque medietatem prædicto KADELOHO, suisque successoribus. Quod ut verius credatur, atque diligentius ab omnibus observetur, hanc paginam inde conscriptam, sigilli nostri impressione jussimus inferius insigniri, manu propria confirmantes.

Signum

Signum Domini Henrici III. glo-



riosissimi atque invictissimi Regis.

In sigillo sedet Rex in sella, dextra sceptrum cum insidente ave, sinistra vero pomum Imperiale tenens.

Eppo Cancellarius, vice Bardonis Archi Cancellarii recognovi.

Datum XII. Kal. Augusti, Indict. VIII. Anno Dominicæ Incarnationis MXL. Anno vero ordinationis Domini HENRICI tertii XIII. regnantis secundo. Actum GOSLARIÆ feliciter. Amen.

XIII.

TRADITIO REGIS HENRICI III. DE DECEM MANSIS, CVIDAM MILITI MARCWARDO FACTA. 1041.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis HENRICVS Divina favente clementia Rex. Uniuscujusq; potestatis dominus, Deum sibi satis propitium,

& ab eo se clementer exaudiri facit, si fideles suos, unde ipsi eum interpellaverint, misericorditer exaudire nequaquam contradicit. Quaprópter omnium Christi nostrorumque fidelium, tam futurorum quam præsentium, sollerti industriæ notum esse volumus, qualiter nos ob maternæ petitionis amorem dilectissimæ genetricis nostræ GISILÆ, Imperatricis Augustæ, nec non ob minime denegandam voluntatem fidelissimi fidelis nostri EKKARDI Marchionis, MARCWARDO cuidam militi suo, decem Regales mansos, cum Zmurdis, & illorum uxoribus filiisque suis ac filiabus, imo cum omnibus suis possessionibus, in Burcvvardo TREBENI, in pago ZCUDICI, in villa TUCHIN, in Comitatu prædicti Marchionis EKKIHARDI sitos, si in jam nominata villa TUCHIN ex integro sint. Si autem minus, in illa quæ huic proxima est villa, eosdem decem Regales mansos nostræ proprietatis eidem MARQUARDO restituere ex toto præcepimus, cum omnibus pertinentiis suis; hoc est utriusque sexus mancipiis, areis ac ædificiis, terris cultis & incultis, agris, pratis pascuis, campis, sylvis, venationibus, aquis aquarumque decursibus, molis molendinis, piscationibus, exitibus, &

rediti-

reditibus, viis & inviis, seu cum omni utilitate, quæ ullo modo inde potest provenire, in proprium dedimus ac tradidimus. Ea videlicet ratione, ut præfatus MARCQUARDUS, de jam nominato prædio, sibi à nobis tradito, liberam dehinc potestatem habeat, tenendi, tradendi vendendi, commutandi precaviandi, posteris relinquendi, vel quicquid sibimet placuerit inde faciendi. Et ut hæc nostræ traditionis auctoritas per futura succedentium temporum curricula stabilis & inconvulsa permaneat, hanc paginam inde conscribi, eaque (ut subtus videtur) manu propria corroborantes, sigilli nostri impressione jussimus insigniri.

Signum Domini HENRICI tertii, Deo volente, Regis invictissimi,

Eberhardus Cancellarius, vice Burctonis *Archi* Capellani, recognovi.

Data II. Kal. Julii, Indictione IX. Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo XLI. Anno autem Domini HEINRICI tertii Ordinationis ejus XIII. Regni vero tertio. Actum GOSLERI feliciter. Amen.

XIV.

XIV.

VICTOR PAPA II.

ECCLESIAM SS. SIMONIS ET JUDÆ IN GOSLAR, AB HENRICO III. fundatam, in tutelam ſuſcipit. 1056.

VICTOR Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, omnibus Chriſti fidelibus. Sancti propoſiti votum non ſolum divino effectu impletur, ſed etiam humano ſuffragio adjuvatur. Sit autem notum omnibus Sanctæ Eccleſiæ filiis, tam præſentibus, quam futuris, quia filius noſter chariſſimus, ſcilicet HEINRICUS Imperator Auguſtus, quandam Eccleſiam, à ſe funditus conſtructam, in honore Sanctæ Dei genetricis Virginis Mariæ, & Beatorum Apoſtolorum Simonis & Judæ, poſitam loco *Goslaria*, ubi fratres ſunt ſub canonica degentes regula, quibus præpoſuit *Guntherum* Cancellarium ſuum, tam pro animæ ſuæ ſuæque conjugis Auguſtæ, filiæ noſtræ *Agnetis* remedio, quam pro ſalute etiam parentem ſuorum *Conradi* & *Giſelæ*, divinæ memoriæ, pio affectu, piaque intentione, Sancto Petro, ejusque Apoſtolicæ ſedi, per ſcripturam propria manu ſignatam, penitus conceſſit, per

manus

manus nostras scilicet indigni Vicarii ejusdem Apostolorum principis; ut ipsa Ecclesia, posita sub Apostolico jure, in perpetuum libera & quieta persistat, ab omni jure & dominio, ab omni læsione & molestia, suamque integritatem habens in omnibus rebus & facultatibus, quas modo habet in prædicto loco *Goslaria*, in *Egelen*, & in *Jereseleb*, & in *Adesleb*, & in *Scammenstetin*, & in *Slanstete*, & in *Valentro*, & in *Aldendorp*, & in *Dilgistetin*, & in *Bunesdorf*, & in *Okkerslebe*, & in *Bawria*, & in *Walebeslebe*, & in *Herlingerode*, aliisque locis & villis: & quæcunque in perpetuum habitura est, sive sint mobilia sive immobilia. Quod donum de manibus prædicti charissimi filii nostri Augusti suscipientes, decrevimus per hoc nostræ Apostolicæ auctoritatis privilegium, omne munimen, omne robur Apostolicum, eidem Ecclesiæ Sanctæ Mariæ, & Sanctorum Apostolorum Symonis & Judæ, contribuere & condonare, ut integra in suis rebus suisque possessionibus constans, in secula nullum metuat vel ab Imperatore, vel à Rege, vel ab aliqua persona publica vel privata, dispendium vel detrimentum. Dignum tamen duximus

mus eidem cariſſimo filio noſtro Auguſto, ejuſque ſucceſſoribus, Advocationem ipſius ſacri loci ea ratione relinquere, ut ſemper in poteſtate habeant, ibi Præpoſitos ſecundum Deum ordinare, non autem ex bonis ipſis aliquid alicui in proprium dare, ſive in beneficium tribuere. At ſi contra prohibitionem noſtram quiſquam eorum tentaverit agere, liberum jubemus eſſe Præpoſito & Canonicis, qui ibi pro tempore fuerint, ſic omni modo ad Romanam Eccleſiam deinceps reſpicere, ut nihil metuant de Imperiali vel Regali conditione: Epiſcopus autem in cujus Diœceſi iſtius Eccleſiæ conſtructum eſt monaſterium, nihil in eo habeat juris aut poteſtatis, præter Eccleſiaſticum regimen, &, ſecundum Canonica inſtituta, Epiſcopalem poteſtatem. Statuimus igitur Apoſtolica cenſura, ſub divini judicii obteſtatione, ut nulla poteſtas Imperialis vel Regia, Eccleſiaſtica vel ſecularis, vel quævis hominis perſona, magna vel parva, cujusque ſit ſexus vel ætatis, contra hoc noſtræ corroborationis privilegium venire pertemptet. Quisquis vero, quæ, quæve, quod abſit, fuerit, usque ad dignam ſatisfactionem noſtri Apoſtolici

lici anathematis vulnere sauciatus existat. Qui vero ab hac prohibitione se custodierit, & quicquid hic legitur illibate observaverit, plenam à nobis habeat benedictionem, & à Deo sempiternam salutem. Datum v. Idus Januarii, per manum *Aribonis*, vice *Annonis* ArchiCancellarii Sanctæ Romanæ Ecclesiæ & Coloniensis Archiepiscopi: Anno secundo Domini Papæ *Victoris* II^{di}, Indictione X^{ma}.

XV.

LOTHARIVS IMP. CONFIRMAT venditionem curtis Abbenrod, in pago Hartingo, Anno 1129.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. LOTHARIUS tertius, divina favente clementia Romanorum Rex, notum facimus omnibus, quod Fridericus Palatinus de Putelendorff, cum consensu Agnetæ uxoris suæ, & Friderici filii sui, & omnium hæredum suorum, vendidit Gerhardo de Lochtenem hæreditatem suam, videlicet totam curtem, Abbenrod dictam, in pago Hartingo, sitam in Ducatu Ducis


Henrici, cum omnibus attinentiis, agris, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, viis, inviis, exitibus & reditibus, adhæc quæsitis, & futuris temporibus inquirendis, cum omni utilitate, exinde quovis modo percipienda: hac interposita ratione, ut prædictus Gevehardus in posterum liberam & plenam de bonis istis statuendi, vendendi, commutandi, donandi, vel successoribus suis relinquendi, & quicquid ipsi placuerit, de iis faciendi, habeat facultatem. Postquam igitur præterlapso tempore prædictus Fridericus Palatinus defunctus est, Agnes uxor sua, & Fredericus filius suus in nostra præsentia hanc emtionem & cessionem prædicto Gevehardo recognoverunt, & eam cum consensu Ludovici de Wippere, sub cujus mundiburdio erant constituti, confirmarunt. Nos vero, exigente illud justitia, nostraque benevolentia, propter fidele servitium ejus, & multorum intercessionem fidelium nostrorum, illud autoritate regia nostra stabilivimus & confirmavimus. Ut igitur nemo in posterum & sempiternis temporibus factum illud immutare audeat, sive præsumat convellere, hanc literam conscribi, & sigil-

lo no-

lo noſtro confirmavi juſſimus. Hujus rei teſtes ſunt Archiepiſcopi, Moguntinus Adelbertus, Adelbertus Bremenſis, Northbertus Magdeburgenſis, Conradus Saltzburgenſis. Epiſcopi: Bertoldus Hildeneſheimenſis, Siveridus Mindenſis, Ecbertus Monaſterienſis, *Bernhardus Paderbornenſis*, Vdo Citizenſis, Meingotus Merſeburgenſis. De Laicis: Fredericus Palatinus Comes de Someriſchenborg, Hermannus Landgravius, Conradus Marchio, Adelbertus Marchio, Comes Sifridus de Homborg, Udo, Ludevvicus, Conradus de Plötzke, Burcardus de Lucca, Burcardus de Werdere, Albertus de Wernigerod, Ludolfus de Valckenſtidde, Henricus Wiperti, Widekindus de Svalenberg, Burcardus de Cunradesberge, Wernerus de Veltheim, Marquardus de Ordio, Conradus de Eikſtedde, Gero Stochunſehe, Ekenhardus de Wegenleve, Wernerus de Quenſtede, Hermannus & Otto Milonis. De miniſterialibus & ſervis, Ludolfus de Dalem, Willerus, Odalricus, Ludericus, Volcvvardus, Theoderici ambo de Tingelſtede, Arnoldus de Anderbicke, Theodericus de Heſſenem,

nem, & Gerhardus, & plures alii, qui hoc audiverunt, & viderunt.

Signum Domini Lotharii III. Dei gratia Romanorum Regis invictissimi.



Ego Tietmarus Regis Notarius, ad vicem Adelberti Archicancellarii recognovi.

Datum Id. Jun. anno incarnationis Dominicæ 1129. Ind. VII. anno II. regni Lotharii III. Rom. Regis IV. Actum Goslariæ in Dei nomine. AMEN.

XVI.

LOTHARIVS IMP. CONFIRMAT NEGOTIATORIBVS CIVITATIS QVITELINGEBURG privilegia, à Decessoribus suis ipsis concessa. Anno 1134.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, *Lotharius* divinâ favente Clementia, *tertius* Romanorum Imperator Augustus &c. Sicut confirma-

firmationis nostræ auctoritatem apud Successores Nostros vigere, & irretractatam manere justum est, ita non minus convenit, eandem auctoritatis vicissitudinem & assensum nostris præbere Prædecessoribus, videlicet, ut ab ipsis conservata conservemus, & legitime confirmata confirmemus. Proinde tam futurorum quam præsentium noverit industria, qualiter Nos, ob interventum dilectissimæ Consortis nostræ Imperatricis *Richinsæ*, ac venerabilis Abbatissæ *Gerburgis*, suggerente Marchione *Adelberto*, cæterisque curiæ nostræ fidelibus, Negotiatores de *Quitelineburgk*, eodem modo, quo Prædecessores nostri Reges & Imperatores habuerunt, sub nostram recipimus tuitionem, ac per omnia in legitimis concessionibus eorum vestigia, sicut justum est, tenentes, concedimus eis, ut per omnes nostri Imperii mercatus, ubique suum liberè exerceant negotium, & tali deinceps lege & justitiâ vivant, quali usi sunt & utuntur, Negotiatores de *Goslariâ* & *Magdeburgo*, Imperiali ac regali nostrorum Antecessorum traditione & confirmatione, omnino ex istâ parte Alpium, in omnibus locis, Theolonei exactionem ipsis remit-

remittentes & indulgentes, exceptis tribus, *Coloniâ, Thile* & *Bartinwich*; Quia vero usque ad tempora nostra Synodali Censura & examini, non nisi in fato loco idem Quitelineburgk præfati Mercatores se re, præsentare consueverunt: volumus, ut in Ecclesiasticis negotiis Episcopum & Archidiaconum ibidem tantum audiant, & Synodali Censuræ subjaceant, exceptis tamen his, qui propter aliquam in obedientiam ad Episcopalem sedem vocantur. Statuimus quoque non minus, antiquam eis consuetudinem resignantes, ut pascuis ex altera patte *Bodæ*, id est, Orientali, deinceps libere eâ utantur conditione, quatenus in emendis piscibus ad mensam Abbatissæ, unum talentum singulis in Rogationibus persolvant: Villico vero ipsius de unoquoque lare obulum reddant, eâ tamen conditione, ut pro transminandis pecoribus pontem ipsis præparet, & cum opus fuerit, reparet. Concedente quoque Abbatissâ, decernimus, ut Mercatores lanei & linei panni, & pellifices de forensibus statioonibus tributum non reddant: Cives etiam de omnibus, quæ ad cibaria pertinent, inter se judicent, & quæ pro his à delinquentibus pro negligentiâ

gentiâ componuntur, tres partes civibus, quarta pars cedat in usum Judicis. Præcipientes itaque jubemus, ut nullus Archiepiscopus, Dux, Comes, Vice-Comes, Schuldassio, nulla deniq; Imperii nostri magna parvaque persona, prædictos Negotiatores audeat in his concessis inquietare, divestire vel molestare. Si quis vero temerarius contra hoc præceptum conatus fuerit, aut infregerit, sciat se compositurum C. libras auri, medietatem Cameræ nostræ, & medietam præfatis mercatoribus. Quod ut verius credatur, & ab omnibus diligentius custodiatur, præsentis decreti paginam Sigilli nostri impressione jussimus insigniri. Huic autem traditioni nostræ idoneos testes adhibuimus, *Adelbertum*, Moguntinum Archiepiscopum; *Embriconem* Wirtzeburgensem, *Ottonem* Halberstadensem, *Meingotum* Mersiburgensem Episcopos; Marchiones, *Adelbertum*, *Chonradum*, *Henricum*: Palatinos Comites, *Fridericum*, *Wilhelmum*; *Ottonem* de Rinegge, *Bozwinum* de Hennisberck.

Signum Domini *Lotharii* Tertii, Romanorum Imperatoris invictissimi. Ego *Erchardus* Vice *Adelberti* Archicancellarii, & Moguntini Archiepiscopi, recognovi.

Datæ Anno Incarnationis Dominicæ MCXXXIIII, VII. Maji Indict. XI. Anno vero Regni Regis Lotharii VIII, Imperii primo. Actum *Quitelineburc* in Christi nomine feliciter. Amen.

XVII.

FUNDATIO EPISCOPIÆ ZVERIENSIS, FACTA PER HENRICUM LEONEM, Bajoariæ & Saxoniæ Ducem, Anno 1170.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, *Henricus* Dei gratia Bajoariæ atque Saxoniæ Dux. Summa æterna providentia potestatem & administrationem in temporalibus idcirco nobis contulit, ut bonum operemur ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei. Si itaque in promovendis vel ordinandis rebus Ecclesiæ, vel Ecclesiasticarum personarum commoditatibus, devoti & studiosi æmulatores fuerimus, emolumentum laboris nostri ab eo exspectamus, qui dat mercedem bonam sustinentibus se. Quapropter notum facimus universis, tam præsentibus quam futuri temporis Christi fidelibus, quomodo nos pro remedio animæ nostræ, & parentum nostrorum, ad propagandam Christia-

Christianam religionem, in terra Slavorum transalbina, in loco horroris & vastæ solitudinis, *tres Episcopatus* construximus, allodiis, reditibus mensæ nostræ dotavimus, insuper ea, quam gladio & arcu nostro quæsivimus, hæreditate ampliavimus. Prærogativam quoque totius Ecclesiasticæ libertatis, juxta formam sanctorum Canonum, & Leges Imperatorum, tam Ecclesiis quam Ecclesiasticis personis, Deo ibidem servientibus, nostræ auctoritatis edicto firmavimus, & banno Apostolorum, Archiepiscoporum, Episcoporum, corroborari fecimus.

Ex quibus Episcopatum *Sverinensem*, quem postremo omnium consecrari & dedicari in honorem Domini nostri Jesu Christi, & sanctæ Dei genetricis Mariæ, & sancti Johannis Evangelistæ fecimus, trecentis mansis, & duabus villis, ac duabus curiis allodii nostri dotavimus. Villa scilicet *Borist*, in *Sadelbant*, villa *Virkin*, *Chotendorp*, cum duabus curiis. Huic in eadem dote adjunximus terram quæ vocatur *Butsuue*, & castrum *Werle* dictum, cum terra attinenti, etiam *Werle* dicta, ex utraque parte aquæ *Warnouue*, & castrum *Barth* cum terra attinenti, videlicet *Tribedne* vocata: & terram, *Pithne*

 voca-

vocatam, & duas terras prope *Demmin*, videlicet *Westrose* & *Losis* dictas, & decem villas *Ilowe, Moysle, Darsis. Gugoluosci, Pastrowe, Notzta, Pamii, Montino. Quatzutin, Losow, Gnesdig*, & *villam* sancti *Godehardi*, quæ prius *Godrach* dicebatur, cum omni utilitate, & attinentiis suis, & molendinum ex australi parte ejusdem villæ; Duas villas in *Barda*, villam *Meiritz*, & aliam in *Warnow*; Item prope *Zverin* duas villas *Rampe* & *Liscowe*, quæ mutato nomine *Altavilla* vocatur, & insulam *Schverin* adjacentem, & aliam insulam prope *Dobin*, quæ *Liphe* dicitur. Ipsam civitatem *Sverin* à domo piscatoris *Svek*, super australe stagnum positam, usque ad antiquum cœmeterium, & inde protendit in directum usque ad minorem scalam, cujus medietatem ad areas fratrum deputamus: majorem vero scalam usque ad prædictam insulam & molendinum in Aquilonari parte civitatis situm. Hæc itaque omnia, auctoritatis nostræ munificentia, sæpe dictæ Ecclesiæ, in usus Episcopi, libera donatione, cum omni jure & utilitate donavimus, interposita nimirum astipulatione eorum, quorum beneficia ante fuerunt, & banno Episcoporum, qui aderant, roborari fecimus. Hæc autem ad usum canoni-

Canonicorum cedant: Duæ prædictæ villæ prope *Schverin*, *Rampe* & *Alta villa*; in *Brezin* triginta mansi, in *Tloua* quatuor villæ. De decem supradictis, cum omni utilitate & attinentiis suis, navale thelonium in *Sverin*, ubi tamen excipiuntur homines Episcopi. Parochiam in *Sverin* cum omni jure. Medietatem decimæ in *Slatzne*, tertiam partem decimæ in *Muchelberg* & in *Tlowe*. In *Warnow* & in *Muritz* tertiam partem decimæ. Quæ vero decimæ Slavorum tenues sunt, de tot provinciis, Canonicis ad stipendia sua deputatæ sint. Nam cum Deo donante decimæ postmodum more Christianorum convaluerint, in Episcopi dispositione tunc præsidentis sit, ut Canonicorum numero, qui tunc erit, stipendia sufficiant, & de reliquo aliæ congregationes substituantur. De duabus vero villis, & duabus curiis supra nominatis, quas Dominus Dux de allodio hæreditatis suæ dotavit, reditus in tres partes dividantur, ita quod in anniversario Ducis una pars redituum Canonicis, altera pars pauperibus ad servitium conferatur, tertia vero in dedicationem Ecclesiæ, ad servitium tribuatur. Hæc siquidem omnia cum omni integritate & utilitate nunc & postmodum profutura

 sine

ſine aliqua exceptione, Eccleſiæ contulimus. Ne ergo in poſterum deleantur miſerationes, quas fecimus in domo Dei, ſed in perpetuum valeant, cartam hanc conſcribi, & ſigilli noſtri impreſſione ſignari juſſimus. Teſtes autem hi aderant. *Evermodus* Epiſcopus Ratzeburgenſis, *Berno* Epiſcopus Sverinenſis, *Ancellinus* Præpoſitus, *Godefridus*, Capellanus, *David*, *Baldewinus*, *Chonradus*, *Reinoldus*, Magiſter *Bartholdus*, *Helmwicus*, *Hartwicus*, *Liborius* Comes, *Henricus* de *Ravensberge*, *Otto* Comes de *Benthem*. *Calemarus* de *Demmin*, *Pribitzlaus* de *Kitzin*, *Guncelinus* Comes de *Swerin*, *Bernhardus* Comes de *Retzeburg*, *Conradus* Gomes de *Regenſtein*, *Hermannus* Comes de *Luchowe*, *Conradus* Comes de *Rhodin*, *Reinbertus* de *Richlinge*, *Meinricus* de *Molburch*. Miniſteriales *Henricus* Burgravius de *Hetſane*, *Jordanus* dapifer, *Otto* de *Erthinebroch*, & alii quam plures. Acta ſunt hæc VIII. Idus Septembr. in dedicatione ejusdem Eccleſiæ, Anno dominicæ incarnationis MCLXX. Indictione IV. Data per manus *Heinrici*, Præpoſiti Bremenſis Eccleſiæ, ſancti Stephani.

XIIX. LI-

XIIX.

LITERÆ OTTONIS IV. REGIS,

continentes fines & terminos territorii, divisi ex parte fratris Henrici Ducis & Comitis Palatini Rheni, anno 1203.

OTTO Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus. Quoniam omnia quæ aguntur in tempore, quadam quasi mutabilitatis lege tendunt ad interitum, cautum est literalis adminiculi fulcimine facta roborari, quæ semper, tanquam præsentia, futurorum sunt memoriæ commendanda. Notum sit ergo tam futuri quam præsentis ævi fidelibus, quod nos una cum dilectis fratribus nostris; *Henrico* præinclyto Saxoniæ duce, eodemq; Rheni Palatino Comite, & *Guillihelmo*, Patrimonii nostri divisione, fraterno & unanimi consensu, in Padelburnim celebrata, portionem supradicto fratri nostro Henrico Duci à nostris segregatam, & sibi provenientem, istis terminorum certis interstitiis distinximus. Incipit igitur loco, in quo fluvius Sevina influit Albiam; in Albiam rursum usque in mare, & Sevinam rursum usque ad locum, ubi ipsa est vicinior Daulo, à Daulo usque

Nort-

Nortberg, à Nortberg in Flotvvide, à Flotvvide usque Hannovir oppidum, quod Ducis eſt cum omnibus ſibi attinentibus. Ab Hannovir Leinam ſurſum usque Northem, quod & ſibi ſpectat, cum omnibus pertinentiis. A Northem usque in montem Pleſſe; inde usque Guidingen; & Guidingen ſuum eſt, cum omnibus, quæ ſibi attinent. Inde usque Haninſtein, quod & ſuum eſt, cum omnibus ſibi pertinentibus. Ab Haninſtein recta via, & ſtrata regia usque Moguntiam. Inde per deſcenſum Rheni usque in mare. Quicquid igitur infra terminum iſtum, quod Patris noſtri piæ recordationis fuit in prædiis, ceſſit in partem fratris Henrici Ducis ſæpe nominati. Præter hoc provenit ſibi *Stadium* oppidum, & omne prædium noſtrum, quod eſt infra Comitiam Stadii, usque in Sevinam; & prædium, quod eſt interritorio Bremenſi; & prædium quod eſt circa Verden. Inſuper Cielle & Nortberg, cum omnibus attinentiis, & curtis Vrilede cum ſuis pertinentiis; curia Morſe & ſibi attinentia, caſtrum Homberg cum ſuis pertinentiis; Eimbeke / & quæ ſibi attinent; Deſinberg cum ſuis appenditiis; *Adjuels* & illi attinentia. Præter enumerata ceſſerunt parti ſuæ, omnia prædia in Ditmar-

Ditmartia & in Hadele. Comitia quoque Stadii successit ei, sed hæc jure feodali, respectu aliorum feodorum. Præter hæc prædium in Woitsatia, & omnes Ministeriales, qui sunt infra terminos istos. Intererant autem huic nostræ divisioni Principes, Harbertus venerabilis Hildesssemensis Episcopus, Wedekint Chorbiensis Abbas, Heribertus Werdensis Abbas. Laici nobiles: Symon Comes de Tekkinborch, Bernhardus de Wilpa, Henricus Comes de Stumpinhusin, Conradus de Zicka, & filius ejus Hermannus de Lippa, Henricus de Danne. Ministeriales: Conradus de Wilre, Dapifer Regis, Symon Aquensis, Camerarius Ludolphus de Esebeke & frater ejus Baldevvinus, Basilius de Osteroda/ Fredericus Marschalckus, Eilardus de Obarge/ Ludolphus de Bortfelde, Ottravinus de Rottorp, Erevvicus de Utissen, Hartungus de Rotenkirche/ & alii quamplures. Acta sunt hæc anno Dominicæ incarnationis MCCIII. Indictione quinta, anno vero regni nostri IV. Ut autem hæc divisio, nec à nobis, nec ab aliquo successorum seu hæredum nostrorum in posterum unquam retractari valeat, præsens scriptum hinc inde

conscribi & nostri ac fratris nostri Guillehelmi impressione communiri præcepimus sigillorum.

XIX.

LITERÆ DOMINI HENRICI
Comitis Palatini, continentes fines ac terminos territorii divisi, ex parte OTTONIS Cæsaris. Anno 1203.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, HENRICUS, Dei gratia Dux Saxoniæ, & Palatinus Comes Rheni. Quoniam omnia, quæ aguntur in tempore, quadam quasi mutabilitatis lege tendunt ad interitum, cautum est literalis adminiculi fulcimine facta roborari, quæ semper tanquam præsentia futurorum memoriæ sunt commendanda. Notum sit ergo tam futuris, quam præsentis ævi fidelibus, quod nos una cum dilectis fratribus nostris, Serenissimo Domino nostro OTTONE, Romanorum Rege & semper Augusto, & WILLEHELMO, patrimonii nostri divisione fraterno & unanimi consensu apud Padelburnam celebrata, portionem jam dicto fratri, Domino nostro Ottoni, Romanorum

rum Regi, à noſtris ſegregatãm, & ſibi provenientem, iſtis terminorum interſtitiis certiſſimis diſtinximus. Incipit itaque in hoc loco: Brunſvvik ſuum eſt, & ibi attinentia: & terra usque Nortburg ſua eſt: Nortburg uſque Daulo: à Daulo uſque Hünekesbötle; à Hünekesbötle uſque Schvvibehke; à Schvvibeke uſque Varesfelde; & Varesfelde ſuum eſt. De hoc loco terra eſt ſua uſque Vadenberge. A Vadenberge uſque ad navigium Wagersleve; à Wagersleve uſque in montem, qui dicitur Hart ad villam Reinebecke: & ab illo totus mons Hart, ſuus eſt. Caſtrum Sommerſchenborg / & omnia attinentia, ſua ſunt. Quicquid, inquam, eſt in circuitu illo uſque Brunſvic, quod Patris noſtri Henrici Ducis, piæ recordationis, fuit in prædiis, ceſſit in parte fratris & Domini noſtris Ottonis, Romanorum Regis. In alio latere à Brunſvic uſque Vlotvvode terra ſua eſt, & ipſum Vlotvvode dimidium; & à Vlotvvode uſque Hannovere terra ſua eſt. A Hannovere fluvius Leina ſuperius uſque Northeim, & juxta Northeim uſque ad montem Pleſſe ſuum eſt, à monte Pleſſe uſque Gotinge, à Gotinge uſque Hanenſtein; à

 Hanen-

Hanenftein Regia ftrata usque Moguntiam. Quicquid eft infra terminum iftum verfus Brunsvvic, tam in Minifterialibus, quam in prædiis & caftris, totum fuum eft. Hæc funt caftra, quæ cefferunt proprietati fæpe dicti Domini noftri Regis: Lichtenberge, Affe, Schiltberge, Stauffenberg, Ofterode, Hertesberg, Scartfeldt, Lutterberge, Haniftein, Rodenburg, Monafterium, Homburg, & totum patrimonium in Thuringia, quod erat patris noftri, fuæ ceffit parti. Hujus rei teftes funt, Bernhard, venerabilis Patelburgenfis Epifcopus, Hartbertus Hildesheimenfis Epifcopus, Wedekindus Chorbienfis Abbas, Heribertus Werdenfis Abbas. Laici nobiles: Simon, Comes de Telfeneburg Bernhardus Comes de Welipa, Henricus Comes de Stumpenhufen, Conradus de Zikka & Conftantinus filius ejus; Hermannus de Lippa, Henricus de Danne. Minifteriales: Conradus de Wilre, Simon Aquenfis, Camerarius, Ludolphus de Asbeke & Boldevvinus frater ejus; Fredericus de Volckmerode, Bafilius de Ofterode, Eilardus de Hoberge, Ludolphus de Bortfelde, Oftrauenus de Rottorp, Harvvicus de Uteffeim, & alii quamplu-

plures. Acta sunt hæc anno Dominicæ incarnationis MCCIII. Indictione quinta, præsidente S. Romanæ Ecclesiæ Papa Innocentio hujus nominis tertio, regnante Serenissimo Domino nostro Otthone quarto Romanorum Rege & semper Augusto, anno regni ejus quarto. Vt autem hæc divisio nec à nobis, nec ab aliquo successorum seu hæredum nostrorum in posterum unquam retractari valeat, præsens scriptum hinc inde conscribi, & nostri impressione sigilli, ac fratris nostri Wilhelmi, præcepimus communiri.

XX.

OTTO IV. IMP. DOTAT ECCLESIAM S. Mariæ apud Ceverlingeborch Anno 1213.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Dei gratia OTTO quartus, Romanorum Imperator, & semper Augustus. Devotionem quam possumus, ad ea quæ Dei benefactoris nostri sunt, gerentes, his quoque merito curam advertimus diligentem, quæ sanctæ Matri ejus credimus

 com-

complacere. Igitur cum nos circa ecclesiam S. Mariæ apud *Ceverlingeborch*, à nobis inchoatam, pium felicis consummationis habeamus propositum, notum facimus universis, quod nos eandem, de assensu dilecti fratris nostri *Henrici*, Illustris Comitis Palentini, proximi hæredis nostri, dotavimus istis bonis: Apud *Honrod* XVII. mansis, uno molendino, cum omnibus pertinentiis in litonibus, in silvis & in pratis, piscationibus, exceptis apud Waggen duobus mansis, & silva Bodenhorn: apud Gosthorne uno molendino, & cæteris omnibus, quæ ibidem nostro dominio pertinebant, in agris, silvis, pratis & aquis: apud Gamenhusen similiter omnibus quæ nostra erant. Item *Bocla* cum omnibus pertinentiis ejus: apud Borßne XXXV. mansis, & XVIII. agris, & uno molendino, cum litonibus & aliis pertinentibus ad villicationem illam in silvis, pratis & aquis: Parochia quoque ibidem, cum XL. mansis: apud Wenebessum XVIIII. mansis uno molendino, cum litonibus & aliis pertinentiis villicationibus illius, in silvis, pratis & aquis, & Parochia ibidem, cum V. mansis & uno molendino: Idem Ecclesia apud

Elmes-

Elmesborch/ & medietate Ecclesiæ apud Aßle. Adhæc libera dimittimus Ecclesiæ prænotatæ, quæcunque postmodum ex proprietatibus nostris poterit adipisci. Hanc itaque dotem, ab omni jugo Advocatiæ liberam, assignavimus eidem Ecclesiæ, in manus fidelium nostrorum, Hartberti Hildensemensis Episcopi, & Guntzelini Dapiferi nostri: præsentibus & attestantibus fidelibus nostris, Hugoldo, Abbate S. Michaelis in Hildensem / Luthardo Scholastico; Magistro Thiderico de Hamelen/ Magistro Hugone, Canonico Hildensemensi: Comite Henrico de Schladem/ Helmoldo de Plesse / Waltero de Baldensele/ Baldevvino Advocato; Basilio de Schiltberch / Henrico de Schowen / & pluribus aliis, tam clericis, quam Laicis. Ut ergo hæc apud omnes in posterum rata permaneant & firma, scriptum hoc sigilli nostri patrocinio fecimus communiri. Acta sunt hæc, anno incarnationis Dominæ 1213. anno regni nostri XV. Imperii vero IV. Signum Domini Ottonis IV. Rom. Imperatoris Invictissimi. Datum Brunsvvik VI. Kal. Februarii.

XXI. OT-

XXI.

OTTO, DICTVS PVER,

proprietatem suam in Santersleven confert possidendam Templo Hierosolymitano.

Anno 1215.

OTTO de Luneburch, universis, ad quos hoc scriptum pervenerit, salutem & dilectionem. Æternæ vitæ præmiis apud Deum prospicere speramus, dum Ecclesiarum profectibus studemus ampliandis, quibus ipse Christus verum est & dicitur fundamentum. Notum ergo esse volumus cunctis Christi fidelibus, quod nos proprietatem nostram in *Santersleve*, videlicet fundum & jus patronatus Ecclesiæ, cum attinentiis, & octo mansos & dimidium in eadem villa, quæ *Tidericus Tute* de manu nostra pheodaliter tenuit, ad petitionem ipsius coram Domino nostro Imperatore in perpetuum contulimus possidendam *templo Jerosolimitano.* Ita tamen, ut nos, & mater nostra *Helena*, & pater noster bonæ memoriæ, & successores nostri, fraternitatem habeamus Christi militum servientium ibidem. Hujus autem donationis testes sunt;

Walte

Walterus de *Baldensele*, fidelis noster; ministeriales quoque nostri *Wernerus* de *Lovenbuch*, & frater suus *Gevehardus*, *Wernerus Marescalcus*, *Henricus* de *Heimborch*, *Tidericus* de *Monte*, *Olricus de Blochere*, *Jenicus*, *Rodericus*, *Alexander*, *Otto* juvenis, *Henricus de Grabowe*, *Wasmodus* & Advocatus *Cæsarius*, *Ricbode*, & alii quam plures. Acta sunt anno Domini M CC XV. Indict. III. data per manus *Gervasii Notarii* nostri, *Helmenstät*. Ne quis ergo tam rationabile factum nostrum in posterum valeat irritare, hanc testimonialem paginam, sigillo nostro communitam, ad evidentiam erogavimus veritatis.

XXII.

OTTO IV. IMP. DONAT ECCLESIÆ S. BLASII IN BRUNSWIGK LOCUM Severlingeborch/ cum omnibus pertinentiis, anno 1218.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Dei gratia OTTO quartus, Romanorum Imperator & semper Augustus, omnibus, quorum præsentiæ scriptum hoc fuerit exhibitum, in præsenti gratiam,

& in futuro gloriam, Quicquid ad laudem Dei, & Ecclesiarum proventum Imperialis decreverit Serenitas, omni cautela procurandum est, ut non solum ad præsentium, verum etiam ad futurorum memoriam perferatur. Ne igitur nostra sinceræ devotionis facta temporum & hominum imitentur statum, indelebili literarum testimonio perennari decrevimus & muniri. Quocirca notum esse volumus, tam præsentibus quam posteris, quod nullo scripto, nec aliquo hæredum nostrorum aliquatenus reclamare, mutare, aut alias transferre valente, Domino Deo, *S. Johanni Baptistæ*, & *S. Blasio*, Patronis in Brunschwigk/ pro animæ nostræ salute, in perpetuum cum omni jure damus locum Scevelingeborch/cum Ecclesiis, ædificiis, areis, mansis, pratis, silvis, saltubus, piscaturis, & cum omnibus suis pertinentiis Sunt autem quædam specialiter hæc: Ecclesia in Bocle/ Ecclesia in Elmesborch/ Ecclesia in Wenedessem/ Ecclesia in Borßne/ cum omni integritate redditùum & officiorum, ipsis Ecclesiis, & nobis inibi pertinentium; medietas Ecclesiæ in Asleborch/cum prædiis suis; Honrode/ & unum molendinum ibidem, mel nostrum in Hamenhusen/& mansum in Waggen/

gen/Bodenhorne/ molendinum in Heffhorne. Statuimus etiam & immutabiliter servari volumus, ut omnia bona hæc ab omni jure & jugo Advocatiæ nunc & in ævum sint libera, & quicunque fuerit Decanus ad S. Blasii, cum consilio & consensu Capituli sui, omnes supradictas porrigere debet Ecclesias. In prænominato itaque loco, scilicet Sceverlengeborch/ locabit Conventus S. Blasii sacerdotem, qui ad honorem Dei & beatæ Mariæ Virginis, divinum ibi reverenter expleat officium. Reliqua vero bona proventualiter convertat in augmentum præbendarum suarum. Hujus facti testes sunt, *Siffridus* Hildensemensis Episcopus, *Fredericus* Abbas in Lutter/ *Otto* Præpositus in Scheningen/ *Gozwinus* Præpositus Novi Operis in Halberstadt/ *Conradus*, Major in Hildensem Decanus, *Conradus* Cantor, *Conradus* Scholasticus, *Hinricus* de Dossen/ *Ambrosius* sacerdos de Franckenberge. Laici vero; Comes *Hinricus* de Waldenberch/ *Luthardus* de Meinersem/ *Gunzelinus* Dapifer, *Olricus* Advocatus, *Hinricus* Marschalcus, *Rocherus* de Veltem/ *Johannes* de Hernem/ & quamplures alii. Acta sunt hæc, Incarnati Verbi anno MCCXVIII. Indictione sexta,

 præ-

præsidente S. Romanæ Ecclesiæ Papa *Honorio*, anno regni nostri XXI. Quisquis enim malefactorum huic nostræ donationi, in suprema nostra voluntate rationabiliter ordinatæ, contrarius extiterit, à Domino Deo maledictus erit, & ultionis divinæ reus, & imperatorie cum iniquis diaboli filiis pœnam recipiet perpetuæ damnationis. Ut autem hanc veritatis seriem nullus malignantium possit infringere, aut temporalis vetustas delere, hanc paginam testimonialem impressione sigilli nostri fecimus confirmari. Datum Hartesborch xv. Kal. Junii.

XXIII.

OTTO DVX DE BRVNSWIGK

confirmat Ecclesiæ S. Blasii bona omnia, ab Ottone Imp. & Henrico Duce Saxoniæ ipsi collata.

Anno 1227.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, OTTO Dei gratia, Dux de Brunsvvigk, omnibus in perpetuum. Cum omnes ad hoc una devotione tendere debeamus, ut creatori nostro placere possimus, decet nos ab iis summo opere abstinere, quæ oculos majestatis ejus offendant, aut nostram opinionem

nionem aut famam valeant denigrare. Prædecessorum igitur nostrorum felicis memoriæ, Domini OTTONIS, Romani Imperatoris, & HINRICI fratris ejus, Ducis Saxoniæ, exemplo edocti, & inducti; solerti cura promotioni & libertati Ecclesiarum intendere cogimur, & ne quid contra juris ordinem alicui infringi aut auferri valeat, attentiori solitudine providere. Sciat igitur præsentium ætas, & omnis futurorum posteritas, quod universam donationem, quam prædictus Dominus & patruus noster gloriosus, Romanorum Imperator *Otto*, de bonis Seeverlingeborg pertinentibus juste & rationabiliter fecit, ea Ecclesiæ S. Blasii in Brunsvvigk integraliter conferendo; & Dominus *Hinricus* Dux Saxoniæ suo consensu & scripto confirmavit; nos tanquam eorum legitimi hæredes & successores; ratam habentes & inconvulsam, eadem bona cum omni jure & libertate, sicut juste & rationabiliter sunt collata, ita & nos auctoritate nostra eidem Ecclesiæ confirmamus, cum aliis piis & devotis institutionibus canonicis ibidem, ad utilitatem & commodum collatis ab eisdem. Inde est, quod districte prohibemus, ne quis tam ad bona supradicta, quam ad quæ-

 cunque

cunque alia, illi Eccleſiæ pertinentia, mânum temerariam aut violentam quoquo modo extendat, quicquam ſibi uſurpando, aut ab Eccleſia illicite alienando. Quod qui fecerit, primum amicabiliter conveniatur ad deſiſtendum, & ad ſatisfaciendum de injuriis irrogatis. Qui ſi contumax fuerit, tam Eccleſiæ quam nobis liceat canonice illatas perſequi injurias ſuo jure, & eundem bonorum invaſorem Eccleſiaſtica ſententia usque ad ſatisfactionem debitam coartare. Ad quod nimirum noſtrum conſenſum habebunt pariter & favorem. Ut autem noſtris ſucceſſoribus fiat manifeſtum, quid à noſtra liberalitate dinoſcitur eſſe factum, hanc paginam inde conſcriptam ſigillo noſtro in robur perpetuum fecimus communiri, adjunctis nominibus teſtium, qui huic facto interfuerunt. Hinricus, Comes de Dannenberg / Wernerus de Indagine, Godefridus Advocatus, Geardus de Hartowe / Alvericus de Karwwe / Burchardus de Euchow / Bode de Soltwedele / Gerhardus de Lüneborch / Hinricus de Heimborch / Olricus Gyr, Lippoldus de Barnhuſen / Hinrich Ribe / Johan Balch, & Hinrick de Stöcken frater ejus: Totusque Conventus affuit adhæc teſtanda. Datum

Brun-

Brunſchwich / per manum Crachtonis, anno Domini MCCXXVII. In menſe Januario, Indictione xv.

XXIV.

FRIDERICUS II. REVOCAT & caſſat, quicunque in præjudicium Principum & Imperii in civitates irrepſerant abuſus. Anno 1231.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Fridericus ſecundus, divina favente clementia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Jeruſalem & Siciliæ rex.

Cum Romanæ monarchiam dignitatis, ipſo autore, per quem Reges regnant, & Principes obtinent principatus, qui ſuper gentes & regna conſtituit ſedem noſtram, principaliter teneamus, & ſimus in poteſtatis plenitudine conſtituti, Imperatoriam condecet majeſtatem, eos per quos cœpit, & in quibus conſiſtit noſtræ gloriæ plenitudo, qui & vocati ſunt nobiſcum in partem ſollicitudinis, cauſa noſtra . . . . decus recipiant & decorem, non ſolum in ſuis antiquis juribus tueri, pariter ac fovere

fovere; immo quantum æquitas ſinit, & permittit ratio, novis & honeſtis tam juris quam gratiæ muneribus decenter . . . .
Sane cum ex neglectu juris pariter & defectu in partibus Alemanniæ adeo in uſum redactæ ſint quædam conſuetudines deteſtandæ, ut boni ſpeciem præferentes, iniquitatem quod . . . . quibus & Principum Imperii, juri detrahitur & honori, & Imperialis nihilominus per conſequens auctoritas enervatur, noſtræ incumbit ſollicitudini præcavendum, ne hujuſmodi conſuetudines . . . . ruptelas, in diuturniora tempora, Volentes igitur, ut libertates & dona quæ dilecti noſtri & Imperii Principes ex dono noſtri Imperialis culminis nunc poſſident, & ſicut pro . . . . interpretatione gaudeant, & quieta omnimode ipſi Principes ea poſſideant libertate, hoc noſtra edictali ſanctione revocamus in irritum, & caſſamus, in omni civitate vel oppido . . . . conſilia, magiſtros civium ſeu rectores, vel alios quoſlibet officiales, qui ab univerſitate civium, ſine Archiepiſcoporum vel Epiſcoporum beneplacito ſtatuuntur, quocunque pro diverſitate locorum nomine cenſeantur . . . . . .

Nihilo-

Nihilominus & cassamus cujuslibet artificii confraternitates seu societates, quocunq; nomine vulgariter appellantur. Item hac nostra edictali sanctione placuit statuendum, ut in omni civitate vel oppido, ubi moneta jure cuditur, nec mercimonia, nec victualia aliquo argenti pondere vendantur vel emantur, præterquam illis denariis, qui cuilibet civitati vel oppido sunt communes. Sicut enim temporibus retrocatis ordinatio civitatum, & bonorum omnium, quæ ab Imperiali Celsitudine conferuntur, ad Archiepiscopos & Episcopos pertinebat, sic eandem ordinationem ad ipsos & eorum Officiales, ab eis specialiter institutos, perpetuo volumus permanere, non obstante abusu aliquo, si quis in aliqua civitate forte contrarius extitisset, quod de facto potius, quam de jure censemus Ut igitur talis omnino removeatur enormitas & abusus, nec auctoritas aliquo velamine pallietur, omnia privilegia, litteras apertas & clausas, quas vel nostra pietas, vel predecessorum nostrorum, Archiepiscoporum etiam & Episcorum, super societatibus communibus seu consiliis, in præjudicium Principum & Imperii, sive privatæ personæ dedit, sive cuilibet civitati, ab hac die inantea in irritum revocamus, ac

frivo

frivola penitus & inania judicamus: Proteſtantes hanc noſtræ conſtitutionis ſive ſanctionis ſeriem, ex decreto Principum, & ex noſtra certa ſcientia, in forma judicii proceſſiſſe. Statuimus igitur & imperiali ſancimus edicto, quatinus nulla perſona alta vel humilis, Eccleſiaſtica vel ſecularis, huic noſtræ cōſtitutioni vel ſanctioni, ullo adveniente tempore, aliquatinus contraire vel obviare præſumat. Quod qui præſumſerit, præter indignationem noſtri culminis, ſciat ſe L. librarum auri puri pœna mulctandum, quas fiſco noſtro volumus applicari. Ad hujus autem conſtitutionis & ſanctionis noſtræ memoriam, & robur perpetuo valiturum, præſentem divalem paginam fieri, & bulla aurea, typario noſtræ imaginis impreſſa, juſſimus communiri. Hujus rei teſtes ſunt B. Patriarcha Aquilegienſis, A. Magdeburgenſis . . . . Ravennas & B. Panormitanus Archiepiſcopi. E. Babinbergenſis. H. Wormacienſis. S. Ratiſponenſis Epiſcopus, Imperialis Aulæ Cancellarius. Brixinenſis . . . Oſemburgenſis . . Reginus . . Imolenſis, Mutinenſis, & Faventinus Epiſcopi. A. Dux Saxoniæ, O. Dux Meraniæ, & B. Dux Karinthiæ. Comes H. de Hortenburch. Comes H. de Naſſauve,

ſauve, Comes. S. de Spanaym. H. frater ejus, Comes. L. de Hohenſtat. G. de Arneiſten, Sacri Imperii in Italia Legatus. Warnerius de Bollandia. Gunzolinus, Richardus Camerarius, & alii quam plures. Ego Sigfridus Ratisponenſis Epiſcopus, Imperialis Aulæ Cancellarius, vice Domini. H. Colonienſis Archiepiſcopi, in Italia Archicancellarii, recognovi. Acta ſunt hæc anno Dominicæ Incarnationis M CC XXXI. menſe Januarii. V. indictionis, Imperante Domino noſtro *Friderico*, Dei gratia in victiſſimo Romanorum Imperatore ſemper Auguſto, Jeruſalem & Siciliæ Rege: anno Imperii ejus XII. regni Jeruſalem VII, regni vero Siciliæ XXX IIII. feliciter. Amen. Datum Ravennæ, anno, menſe & indictione præſcriptis.

XXV.

FRIDERICI II. CONSTITUTIO DE OFFICIALIBUS EPISCOPATUUM, & bonis eorundem ſine conſilio Eccleſiæ & auctoritate Imperii alienatis.

FRiedericus Dei gratia Romanorum Rex, ſemper Auguſtus, & Rex Siciliæ, univerſis Bremen-

ſis Eccleſiæ Prælatis, Canonicis, Nobilibus, miniſterialibus, & univerſis, ad quos hæ literæ pervenerint, gratiam ſuam & omne bonum. Notum eſſe volumus omnibus vobis, quod præſentibus multis magnatibus & ſapientibus, coram nobis per ſententiam diffinitum eſt, quod mortuo uno Epiſcopo, & alio ſubſtituto, omnia officia vacant, exceptis quatuor principalibus officiis; DAPIFERI videlicet, & PINCERNÆ, MARISCALCI & CAMERARII. Præterea omnia, quæ anteceſſor alienaverit, ſine conſilio Eccleſiæ, & auctoritate Imperii, libera redibunt, & ſine contradictione, ad ſucceſſoris poteſtatem & ordinationem. Nullus præterea Officialium aliquid ſibi dicere poteſt juris in rebus Epiſcoporum morientium; immo liberum erit cuilibet Epiſcopo morienti, diſponere de rebus ſuis mobilibus, & dare cui voluerit, prout ipſe ſaluti ſuæ & animæ viderit expedire. Datum Hagenauwe VII. Kal. Octobris, Indictione VIII.

XXVI. LI-

XXVI.

ALBERTUS, OTTONIS PUERI FILIUS, DICTUS MAGNUS, INDUCIAS FACIT CUM JOHANNE EPISCOPO HILDESHEIMENSI, anno 1258.

DEi gratia Albertus, Dux de Brunsvick, omnibus ad quos hæc litera pervenerit, salutem & sinceræ voluntatis affectum. Præsentibus recognoscimus & publice protestamur, quod præsentibus venerabili Patre ac Domino W. Halberstadensis Ecclesiæ Episcopo, & Nobili Principe Johanne, Marchione de Brandenborg, avunculo nostro, & multis aliis viris nobilibus & honestis, de parte venerabilis Hildensemensis & nostra fideliter & firmiter est dictum, quod nostri & nos, dicto Domino Episcopo, & suis auxiliatoribus, donec in Octavam Pentecostes nunc venturam, securitatem personarum & rerum servabimus bona fide. Quod si aliquo casu, ignorantibus nobis, eidem Episcopo & suis, medio tempore aliqua per nostros irrogaretur injuria vel læsura, dicto Domino Episcopo nos satisfaciemus in amicitia vel in jure. Huic vero securitati Dominus Borchardus de Wulferbütte, Do-

 minus

minus Johannes de Eschete, & Dominus Egbertus de Luttere, sunt inclusi. Actum Brunsvik, in claustro S. Ægidii, anno Domini MCCLVIII. XVI. Kal. Januarii.

XXVII.

OTTO, ALBERTI MAGNI FRATER, EPISCOPUS HILDESHEIMENSIS

abolet consuetudinem, qua Officiati Ecclesiæ supellectilem defuncti Episcopi sibi vendicabant. 1268.

Otto Dei gratia Hildensemensis Electus, omnibus, quibus hoc scriptum videre & audire contingit; salutē in Domino. Notum esse volumus, tam præsentibus, quam futuris, quod cum *Henricus* Pincerna, *Ecbertus* Camerarius, Conradus Marscalcus, Milites, Officiati nostri, sibi quodam jure addicerent, quod quando Episcopum Hildensemensem viam universæ carnis ingredi contingeret, supellectilem defuncti Episcopi, prout cujusquam officio competeret, tollere deberent: Nos, videntes nostram & Ecclesiæ nostræ deformitatem in hoc consistere, tale jus seu consuetudinem de consilio nostri

nostri Capituli disposuimus abolere. Unde Officiati prædicti, rogatu nostro & Capituli, juri, quod se in hac parte habere dicebant, coram Nobis & Capitulo, de consensu hæredum suorum publice renunciarunt. Ita, quod nec ipsi, nec hæredes eorum, hujusmodi jus seu consuetudinem de cætero debeant aliquatinus acceptare. Et hanc renunciationem eorundem, coram Nobis & Capitulo factam, coram Vasallis & Ministerialibus nostris sunt denuo protestati. Ad cujus rei evidentiam præsentem literam conscribi fecimus, & sigillis, Nostro videlicet & Officiatorum sæpedictorum, jussimus roborari. Actum in Capitulo nostro, anno Domini M CCLXVIII. XIII. Kal. Aprilis.

XXVIII.

TRANSACTIO INTER HENRICUM MIRABILEM, ET ALBERTUM PINGUEM, ALBERTI MAGNI FILIOS, Ne alter sine alterius voluntate bona alienet. Anno 1286.

NOs Dei gratia Henricus & Albertus, Duces in Brunsvick, ad conservandam fraternæ dilectio-

lectiones unionem, de fidelium nostrorum consilio, vota nostra composuimus, sub hac forma: bona cum uxoribus nostris nobis data, tenere volumus simul communi manu, ad lucrum & ad damnum; Item alter nostrum non debet infeodare vel obligare bona nostra soluta, nec quicquam facere absque alterius consilio; Item alter sine altero nullum statuet vel deponet Advocatum, quamdiu ambo sumus in terminis terræ nostræ. Item si suspicionem vel sinistram contra aliquem gerimus voluntatem, illi machinari malum, nisi de communi consensu, aliquatenus non debemus. Item si aliquis inter nos seminare, vel alter nostrum attemptaret contra alterum temere derogare, illum debemus in nostra præsentia, tanquam delatorem, omnimodis publicare. Etsi quisquam obloquitur, vel notam impingit alicui coram nobis, accusatori dicemus, ut in accusati præsentia recognoscat, alioquin pœnæ subjacebit vel emendæ, & si accusatus reus exstiterit, condignam nobis præstare debebit emendam.

Nos autem nihil mali amplius apponemus, nisi pari de consilio faciamus. Item neuter nostrum debet aliquem contra justitiam proplacitare, aut

re, aut in injuriosa actione aliquatenus confovere. Præterea, considerata facultatum nostrarum sufficientia, debemus familiam nostram & expensas taliter limitare, & modum in distribuendis donativis talem observare, ut ex eo sentire videamus propriæ commoditatis incrementum. Item beneficia nostra Ecclesiastica conferre, vel totaliter assignare alicui non debemus singulariter, alter sine altero, sed unanimi de consensu. Sanè si contingeret, quòd alter nostrum peregrinationis, vel alterius rei causa abesset, & moram traheret in terra forsitan aliena, ex tunc alter domi relictus, disponendi ordinandi & faciendi, quasi ambo præsentes essemus, plenam habebit in omnibus facultatem. Ne igitur hujusmodi nostræ unionis forma aut oblivione deleatur, aut animus malignantis infringat, præsens scriptum, cum appensione sigillorum nostrorum, insigniri jussimus ad cancellam. Testes sunt nobilis vir Herdenhenricus, Comes de Lutherberch, Ecbertus de Assenborg, Ludolphus de Wenethen, Ludolfus de Weferling, Berteramus de Velthem, Vertheco de Vsler, Milites; Eckbertus de Cimiterio, Hildebrandus Longus,

 Ger-

Gerhardus Stapel, & Henricus de Velstede, Burgenses. Datum *Brunsvic*, Anno Domini MCC LXXXVI. in die beatorum Petri & Pauli Apostolorum.

XXVIIII.

ALBERTUS DUX IN BRUNESWICH, dictus PINGUIS, donat ANNONI Militi de Heymborch / omnem proprietatem, quam habet in villa Höcherstorp. Anno 1307.

DEi gratia Albertus, Dux in Brunesvvich, omnibus ad quos præsens scriptum pervenit, salutem in Domino. Notum fieri volumus universis, tam præsentibus quam futuris, quod intuitu multorum obsequiorum, à Domino *Annone*, Milite *de Heymborch* nobis fideliter præstitorum, dedimus, ac per præsentes damus, sibi ac suis veris hæredibus, omnem proprietatem, quam habuimus tam in villa *Höcherstorp*, quam in agris, campis, cultis & incultis, pascuis & pratis ibidem, eodem proprietatis jure ac dominii, sicut eam possedimus, universaliter ac li-

ac libere possidendam. Ita etiam, quod ipse & hæredes sui, sine omni obstaculo & conditione ex parte nostri & liberorum nostrorum, prædictam proprietatem, quibuscunque modis & contractibus ipsis convenientibus, transferre possint in quemcunque voluerint locum & personam. In quorum omnium evidens testimonium præsentem literam, quam prædicto Domino *Annoni* & suis hæredibus dedimus, sigillo nostro patente roboramus, cujus etiam donationis testes sunt fideles nostri, *Bertoldus de Honlage*, noster Notarius, & *Johannes* frater suus. *Henricus de Werle*, *Fredericus de Ampeleve*, *Ecbertus de Asseborch*, *Bertramus de Veltem*, Milites, & plures alii fide digni. Datum in castro *Wulflebütle*, anno Domini MCCC septimo, XII Kal. Junii.

XXX.

HENRICVS, HENRICI MIRABILIS F. donat monasterio WALKENREDE oleum B. Catharinæ, ac duas spinas de corona Servatoris. 1351.

NOs Henricus Dei gratia, Dux in Bruns

vvick,

vvick recognoscimus in hiis scriptis, publicè protestantes, quòd ob favorem, quem singulariter gerimus ad monasterium Walkenrede, nec non specialem Fratris Conradi, dicti de June, Abbatis ibidem amicitiam, ac animæ nostræ, nostrorumq; progenitorum remedium & salutem, contulimus prædicto Monasterio, cum quibusdam aliis reliquiis, partem de ligno Domini, oleum Beatæ Catharinæ, ac duas spinas de Corona, quâ Dominus JESUS CHRISTUS in passione fuerat coronatus, quas de partibus apportavimus transmarinis. Nos enim existentes in Græciâ, apud excellentissimum Dominum Imperatorem Romeorum Palliologum semper Augustum, sororium nostrum dilectum, vidimus Reverendum Patrem Archiepiscopum Monasterii, siti in pede montis Oreb, cui à jam dicto Imperatore recommendati fuimus specialiter & commissi. Qui quidem Archiepiscopus legatione functus à memorato Imperatore, sororio nostro, ad regem Franciæ, obtinuit ab eodem Rege prædictas spinas ex speciali favore, quas secum ad propria transportavit. Post hæc, quum nos ad limina beatæ Katharinæ in monte Syna,

cau-

causâ peregrinationis transiremus, ad monasterium Archiepiscopi devenimus memorati, ac ipse multum benignè nos recipiens, ob reverentiam Imperatoris, prædicti sororii nostri, quum non haberet majores reliquias, spinas sæpedictas, cum oleo Beatæ Katharinæ, nobis contulit in signum favoris & amicitiæ specialis, quas nobiscum deferentes, Monasterio dedimus, ut præmittitur, memorato. Ne verò hæc nostra donatio oblivioni tradatur, aut dictæ reliquiæ frivolæ & falsæ, quod absit, ab aliquo reputentur, præsentem literam sigilli nostri appositione dedimus roboratam.

Actum & datum anno Domino M CCC. quinquagesimo primo, in vigilia Epyphaniæ Domini.

In sigillo est Leo Magnus gradiens.

In Perigraphe sigilli:

SIGILLVM. HENRICI. DEI. GRATIA.
DVCIS. BRVNSWICENSIS.
ET. CETERA.

XXXI.

PARS
GENEALOGIÆ DVCVM
BRUNSVICENSIUM ET LUNEBURG.

EX

FRAGMENTO QVODAM VETVSTO
CHRONICI BRANDEBURGENSIS.

HENRICUS quintus Rex, Saxoniam maxima ſtrage invaſit, captivatis ejus Principibus, vel occiſis. Tunc Luderus Dux Saxoniæ, cum nobilibus occurrerunt regi, in locum, qui dicitur *Welpesholte*, contra multos pauci numero pugnaturi: in quo bello, anno Domini MCXV. potentiam regis Saxones contriverunt. Henrico vero rege apud *Trajectum* defuncto, anno Domini MCXXVI. ex *Mechtilde* uxore ſua, filia regis Angliæ, reliquit filium *Fridericum*, Ducem Sweviæ; & hic decedens, reliquit tres filios; ſcilicet *Hinricum*, *Fridericum* & *Conradum* regem.

MAGONI, Ducis Saxoniæ quinti, filiam *Wihildim* duxit *Henricus*, Dux Bawariæ, frater Ducis *Welf*; & genuit ex ea *Henricum*, Ducem Bawariæ. Hic duxit *Gertrudem*, filiam *Luderi*, Ducis, Saxoniæ, & genuit ex ea *Henricum Leonem*, & fratrem ejus *Welf* Juniorem, & filiam, *Juttam* nomine.

Anno Domini MCXXVI. Hinrico V. defuncto, LUDERUS Dux Saxoniæ rex electus eſt, & *Lotharius* appellatus, & anno octavo regni ſui Imperator coronatus: & fuit in diebus ejus tranquillitas & pax inter Sacerdotium & regnum: & ita

ita Lotharius rex factus, ducatum Saxoniæ dedit socero suo, Domino *Hinrico*, Duci Bawariæ, ut duos Ducatus pariter possideret. In isto ergo redit ducatus ad semen *Billingi*.

LOTHARIUS vero rex, assumto duce *Hinrico*, socero suo, Roma & Italia est potitus. Qui cum redire pararet, *Rogero* ab *Apulia* depulso, anno Domini MCXXXVII. cum regnasset annis XII. inmatura morte præventus est: cui successit *Conradus* rex, filius *Frederici*, Ducis Sweviæ, nepos *Henrici* quinti.

Anno ergo Domini MCXXXIX. mortuo *Henrico* Duce Bawariæ & Saxoniæ, *Gertrudis*, filia *Lotharii*, uxor ejus, duxit *Henricum*, fratrem *Conradi* regis: & ille ducatum *Bawariæ*, qui jure hæreditario debebatur *Henrico Leoni*, filio Gertrudis, cum matre pueri obtinuit. *Juttam* vero filiam Gerthrudis duxit *Fridericus* Dux Sweviæ, frater *Conradi* regis, & genuit ex ea *Fridericum*, primum hujus nominis Imperatorem. Hic *Henricum* filium avunculi sui, exhæredavit. Cui successit filius ejus *Henricus*. Hic adolescens MCLXXXIIII. duxit *Constantiam* vetulam LX. annorum, filiam *Rogeri*, regis *Siciliæ*, *Calabriæ* & *Apuliæ*, quæ anno ætatis suæ LXI. in Assisio peperit, vel peperisse finxit, filium *Fridericum*, qui succesit *Ottoni*, existens XXIII. annorum, de quibus require in *Chronicis Imperatorum*. Contra *Fridericum* excommunicatum & depositum electus fuit, anno Domini MCCXVI. *Henricus* Lantgravius Thuringiæ. Quo post unum annum defuncto, electus est *Wilhelmus*, Comes Hollandiæ MCCXLVIII. & octo annis supervivens, à Frisonibus occisus est. Quo mortuo habita est mentio de eligendo *Ottone* Marchione Brandeburgensi, viro ad imperium idoneo & devoto. Sed interveniente pecunia, *Richardus* frater *Henrici*, regis Angliæ, Comes Cornubiæ in regem à tribus tantum Electoribus, scilicet Archiepiscopis *Maguntino*, *Coloniensi* & *Palatino*, MCCLVII. est assumtus; aliis tribus, scilicet Archiepiscopo *Treverensi*, Duce *Saxoniæ*, Marchione *Brandeburgensi*, eligentibus

gentibus *Alfunsum*, regem Castellæ. Quibus cassatis sub *Gregorio* Decimo, MCCLXXIII, mense Octobri, *Vrankenvorde Rodulphus*, Comes Havickesburch, concorditer est electus; qui *Austriam*, *Stiriam*, & alias terras, quas rex Boëmiæ *Odakerus* sibi usurpaverat, recuperavit, & MCCLXXVIII. VII. Kal. Septembris, in prælio ipsum occidit.

HENRICUS LEO, Dux nonus, congregavit exercitum contra *Henricum* vitricum suum, ad ducatum *Bawariæ* recuperandum. Sed rege *Conrado* fratrem suum juvante, non profecit. Mortuo tandem rege Conrado, vacavit Imperium annis sex. Demum successit ei *Fridericus*, filius fratris *Conradi* regis, *Friderici* Ducis Sueviæ. Temporibus hujus Imperatoris, cum potestas Ducis *Henrici Leonis* invaluisset super omnes Duces Saxoniæ, & factus esset dominus terræ Sclavorum, impetravit ab Imperatore autoritatem dandi, & suscitandi, & confirmandi Episcopatus in omni terra Slavorum; unde & *Zuerinensem* & *Raceburgensem*, & *Aldenburgensem*, qui nunc *Lubicensis* dicitur, instituit Episcopos & confirmavit.

Anno Domini MCLXXI *Henricus Leo* terram suam *Wichmanno* Magdeburgensi Archiepiscopo committens, ad Terram Sanctam per terram profectus est: & visitatis locis sanctis, & sepulchro Domini, cum gloria in Theutoniam est reversus. Qui *Friderico* Imperatori, obsidenti *Mediolanum*, veniens in auxilium cum mille loricatis; humiliter vero rogaretur ab Imperatore, ut maneret: illicentiatus contumaxque recessit. Post annos autem quinque, cum contumelia Mediolanensium perpetua, Mediolano destructo, tandem Imperator in Theutoniam rediens, celebrata curia, *Henricum Leonem*, filium avunculi sui, à ducatu & feodis, quæ ab Imperio tenuit, devestivit; vix sibi *Lunenburch* & *Bardawik*, & paucis aliis derelictis. Episcopo Colon.ensi contulit *Westphaliam*, & alia cæteris est largitus, & sic ducatus Saxoniæ datus est *Bernhardo*. Obiit autem *Henricus*

Leo

Leo anno Domini MCXXV. & reliquit *Henricum*, *Ottonem* Imperatorem, *Luderum*, *Ricze*, hæredes, & *VVilhelmum*.

WILHELMUS anno Domini MCCII. duxit uxorem *Helenam*, sororem *VValdemari*, regis Daciæ, & genuit ex ea *Ottonem de Luneborch*, & obiit anno Domini MCCIII. OTTO vero duxit uxorem *Mechtildem*, filiam *Alberti*, Brandenburgensis Marchionis, & genuit ex ea *Ottonem*. Hic cadens de vehiculo glaciali, mortuus est, & in Lunenburch sepultus. *Albertum*. Hic juvenis existens, Comitem *Conradum* de *Everstein*, contra ipsum Episcopum Maguntinum incitantem, per pedes suspendit. Archiepiscopum Maguntinum in claustro *Amelungesborne* cepit, & castrum *Asseborch* obtinuit. Anno MCCLVII. intravit *Holsatiam*: ipsam rapinis & exactionibus devastans, cepit in ea *Plône* civitatem & castrum. Hic MCCLXIII. v. Kal. Novembris, à *Tiderico* Marchione Misnensi, cum *Henrico Pingui* Comite, & fere suis omnibus est captus. MCCLXI. Hic primo duxit filiam Ducis Brabantiæ: Postea filiam Marchionis Montis-ferrati *Aleidem*. Obiit MCCLXXIX. in die Assumtionis, sex filios relinquens, & unam filiam.

Johannem, qui duxit uxorem, filiam *Gerardi*, Comitis de *Schowenborch*. Qui cum *Alberto* fratre suo terram dividens, *Luenborch* obtinuit principatum. Moriens anno MCCLXXVI. tutelam filiorum suorum fratri dereliquit.

Conradum, qui laicari volens, Præposituram majorem in *Brema* perdidit · postmodum in *Verdensem* Episcopum est electus.

Ottonem, Episcopum Hyldensemensem, qui jura Ecclesiæ in temporalibus bene defendit. Obiit MCCLXXIX.

Mechtildem, quam duxit *Henricus Pinguis*, Comes de Anahalt, & genuit *Ottonem* Comitem.

Helenam, quam primo duxit *Hermannus*, Dominus Hassiæ, filius filiæ Dominæ B. *Elisabeth*: postea *Albertus* Dux Saxoniæ. Quæ obiit MCCLXX.

 Albeidem

Alheidem, quam duxit *Henricus*, Dominus Hassiæ, filius filiæ B. *Elisabeth*.

Helenam, quam duxit *VVilhelmus de Hollandia* rex, MCCLI. & genuit ex ea *Florentium*, Comitem Hollandiæ. *Florentius* duxit filiam Comitis Flandriæ, quam mater in *Quedelingeborch* Canonicam fecit. Postmodum fratres sui eam Domino *Rugia* copularunt. Obiit autem *Otto de Lunenborch* MCCLII. *Mechtildis* uxor ejus, MCCLXI. & eis successit *Albertus*.

Suigerus XIII. Brandeburgensis Episcopus cepit MCXXXIX sedit annis XXI. menses IV. dies XVII. Obiit MCXLI. sepultus in capella, in castro Brandeburgensi. Hic fuit, antequam eligeretur, Præpositus S. Mariæ Magdeburgi, Ordinis Præmonstratensis, & primus illius Ordinis Episcopus Brandeburgensis. Hic in curte sua *Liezeke* Ecclesiam construxit, & ibidem fratres sui Ordinis collocavit, & bonis ditavit. Hic anno Domini MCXLVII. cum *Frederico* Magdeburgensi Episcopo, & *Anselmo* Havelbergensi Episcopo, & pluribus aliis, accepta cruce, contra paganos contra Aquilonem habitantes profectus est. Hujus temporibus fuit in *Brandenburg* rex *Henricus*, qui Slavice dicebatur *Pribezlaus:* qui Christianus factus, Idolum, quod in Brandeburgh fuit, cum tribus capitibus, quod *Tryglav* Slavice dicebatur, & pro Deo colebatur, & alia Idola destruxit, & idololatriam & ritum gentis suæ detestans, cum filium non haberet, *Adelbertum* Marchionem, dictum *Ursum*, hæredem sui instituit principatus.

* * * * * * * * * * *

Sifridus XV. Episcopus Brandeburgensis, cœpit anno Domini MCLXXIII. Sedit annis sex, mensibus IIX. diebus XXIV. Hic fuit filius *Adelberti Ursi*, Marchionis Brandeburgensis,

gensis, & frater *Ottonis primi*, & de clerico seculari in Brandeburgensem Episcopum est electus, Præposito Brandeburgensi *Gerardo*, & post *Henrico*. Hic fuit Canonicus S. Mariæ in Magdeburg. Hic anno Domini MCLXXX. in Archiepiscopum Bremensem est confirmatus, & cessavit Episcopatus Brandeburgensis.

* * * * * * * * * * * *

Aldwinus XIX. cœpit anno Domini MCCV. sedit annis XI. mensibus VII. diebus XXVI. Obiit MCCXVII. pridie Kal. Junii. Hic juramento obtinuit coram *Alberto* Marchione, Silvam Wernitz / ad castrum Pritzerwe quæ est, Brandeburgensi Ecclesiæ pertinere. Hic de Præposito in Episcopum est electus, & ei in Præpositura *Günzelinus* successit, & Günzelino *Sifridus* *Sifridus* XX. cœpit anno Domini MCCXVII. sedit annis III. mensibus XI. diebus XXXIII. Hic de Præposito factus Episcopus, fratrem suum carnalem *Alvericum*, Canonicum Magdeburgensem, virum literatum & providum, qui Ordinem Cisterciensem assumserat in *Lenin*, in novitiatu recepit, & sibi in præpositura substituit, anno Domini MCCXVII. XIIII. Kal. Julii. Qui Præpositus ecclesiæ præsidens utiliter annis XIII. mensibus X. ad Ordinem Cisterciensem in *Lenin* rediit, anno Domini MCCXXI. IX. Kal. Maii, & ibidem in Domino,

* * * * * * * * * * * *

Ruthgero Præpositis. Obiit autem anno Domini MCCXLI. XIX. Kal. Jan. & cessavit Episcopatus dies V. Hic bonæ literaturæ magister fuerat *Alberti* Archiepiscopi Magdeburgensis:

Qui propter morum & scientiæ elegantiam ipsum ad Decanatum & Episcopatum creditur promovisse. Fuit enim homo mundus, dulcis, affabilis, studiosus & disciplinatus, adeo ut & ipsi filiinobilium mitterentur ad eum, disciplina & moribus imbuendi. Cotidie pauperes & Scolares ad mensam coram se posuit comedentes. Hic de decimis novæ terræ cum *Johanne* & *Ottone* Marchionibus terminavit: altare in Crypta consecravit in honorem Mariæ Virginis, Johannis Baptistæ, Mariæ Magdalenæ, Catharinæ, Livini Episcopi & Martyris MCCXXXV. VI. Kal. Decembris, temporibus *Jacobi* Præpositi. Qui Jacobus emit villam Mukede / & proprietatem, & laudabiliter suæ Ecclesiæ præfuit.

* * * * * * * * *

FINIS APPENDICIS.

PRÆFATIO AD LECTOREM EDITIONI PRIMÆ HORUM MONUMENTORUM PRÆMISSA.

Annus jam volvitur ſeptimus, cum Vir Ampliſſimus atque integerrimus HERMANNUS LANSBERGIUS, in Aula Ser.mi Brunſvicenſium & Lyneburgenſium Ducis Hannoverana Cameræ Præfectus, communicaret mecum THEODORICUM ENGELHUSIUM, ſcriptorem ſeculi XV. laudatiſſimum, eo ſcilicet fine, ut bono cum publico in lucem ederem. Quod conſilium meum cum Magnifico Conſultiſſimoque Viro JOHANNI SCHWARZTKOPFIO, Aulæ Ser.mi Brunſvicenſium & Lyneburgenſium Ducis Guelphicæ Conſiliario intimo & Cancellario, aperirem, pro admirabili ſuo ergo omnem antiquitatem ſtudio non ſolum hoc propoſitum meum laudavit, ſed & alia haud vulgaria MSSta monumenta *(in quibus etiam illa San. Blaſiana excerpta erant, quæ in hac ſylloge numero X. & XI. ponuntur)* haud gravate mihi ſuppeditavit. Vterque licet interea temporis è medio exceſſerit, tamen jam nihilominus apud Deum vivit, rectæque voluntatis ſuæ, beneque tranſactæ vitæ, fructum metit uberrimum. Poſtea etiam Vir Nobilisſimus HERMANNUS CONRINGIUS, Inclytæ JULIÆ Academiæ, & jam quoque proxime laudatæ Aulæ Brunſvigio-Lyneburgicæ, ſingulare decus atque ornamentum, *alium* mihi conceſſit *Engelhuſianum codicem*, dicto *Lansbergiano* multis locis locupletiorem; id quod in his excerptis, parentheſi incluſa additamenta, abunde poterunt teſtari: cui & *Chronicon illud* Ser.morum DUCUM BRUNSVICENSIUM,

CENSIVM, *quod primo loco hic exhibeo*, sub finem erat annexum. Tum & Clarissimus Vir JOHANNES HENRICUS HOFMANNUS qui Cellensi Sermi Brunsvicensium ac Lyneburgensium Ducis Aulæ à Secretis est, & Germanicæ antiquitatis indagator sedulus, transmisit mihi quoddam *Engelhusiani Chronici compendium*, à nescio quo contextum, adjungens aliam adhuc, pro sua in me benevolentia symbolam, illa nempe XII: *Diplomata vetusta, quartum in his opusculis locum obtinentia*, veterisque Saxoniæ historiam non parum illustrantia. Quæ omnia una cùm JOHANNIS CHRAWSII *Canonici Argentinensis Chronico* hactenus in edito, cujus *ἀπόγραφον* penes me est, quodque incipiens ab O. C. in A C. 1458. desinit, aliisque haud contemnendis Germanicæ rei commentatiunculis, quæ suo etiam loco ex parte hic inserta vides, cogitabam uno volumine evulgare. Sed cum varias ob causas atque incommoditates satis commode hactenus id præstare nequiverim, ut tamen vel hac ratione meam erga Patriam pietatem, Summumque Magistratum obsequium & observantiam, aliquo modo declararem, has ipsas primum rerum patriarum Ecclogas præmittere, *Crawsianiq;* tum *Engelhusiani Chronici*, specimen aliquod producere volui: nullus dubitans, Te pro ingenuitate tua, qualiacunque sunt, æqui bonique consulturum. Neque enim Te movebit, quod in nullo horum opusculorum; vel *Livianam* ubertatem, aut *Cæsaris* accuratam diligentiam, vel *Taciti* acumen prudentiamque; sed plurima non satis apte, ac contra dignitatem ipsius historiæ, & tantorum Heroum, quam optime de Ecclesia & Republica meritorum, invenias consignata,

Quæ neq; Cæsareos augent vehementer honores,
Nec contexta rei, sed tanquam adsuta cohærent:

ut de id genus Scriptoribus jam olim conquestus est *Guntherus*, eleganti illo, prout eorum temporum captus erat, quo *Friderici Barbarossæ* res gestas descripsit, carmine. Cum neque *Carolus*

rolus Imperator, ille ob res præclare fortiterque gestas cognomine MAGNI insignitus, juxta *Eginhartum*, maximarum ipsius ac præstantissimarum virtutum præconem, refugerit *barbara & antiquissima carmina, quibus veterum actus & bella canebantur, exscribere atq; memoriæ mandare*, quæ tamen τοῖς κρωγμοῖς τῶν τραχὺ βοώντων ὀρνίθων *clangori avium aspere clamantium*, *Julianus* ille παραβάτης in Milopogone suo exæquat: Et fortissimus ille Heros Brunsvigius HENRICVS, ob animi excelsi atque invicti magnitudinem atque robur LEONIS cognomento decoratus (in quem unum Deus ter. Max. contulisse videbatur, quicquid stirps illa quadrifida CELSISSIMÆ SERENISSIMORVM DVCVM BRVNSVICENSIVM AC LYNEBVRGENSIVM DOMVS, WINDIKINDEI scilicet, BILLINGII, WELFONES, AZONESQVE, gloriæ potentiæque possederant unquam) *colligi præceperit, & conscribi, & coram se recitari, antiqua ejusmodi Chronicorum scripta, & in hac occupatione totam sæpe noctem duxerit insomnem*, quemadmodum is, qui eodem quoque tempore vixit, *Gerhardus Stederburgi Præpositus*, laudabiliter memorat. Quare *nec nobis negligenda erunt ejusmodi rudia quamvis monumenta, quæ multas pulcherrimas virtutes nostrorum Regum & Ducum, si non satis illustrant, vivis, ut ita dicam, coloribus adumbrant tamen; & homines prudentes hac ipsa adumbratio multa monere potest*; ut communis ille totius Germaniæ Magister *Philippus*, ad *Abbatem Urspergensem* præfatione, quam rectissime scribit. *Legendi* nempe *sunt Sallustii, Livii, Suetonii, Taciti, aliiq; noti ejusdem, qui & orationis puritate & sententiarum gravitate suavitateque præcipue sunt commendabiles atq; admirandi*, inquit alicubi alter ille seculi sui Scævola Conradus Rittershusius, ex vicina Brunsvviga Serma illius, & nunquam satis à nobis celebratæ, Domus Brunsvigio Lyneburgicæ ha reditaria urbe, oriundus: *attamen non soli; sed & descendendum aliquando ad inferiores, & ad nostra tempora veniendum*

endum est propius: ac quantum omnino potest, continua quadam series temporum & rerum præcipuarum ex quibusvis scriptoribus colligenda, ac veluti fasciculo comprehendenda est, quamvis alius alio melius & purius, vel deterius & inquinatius scripserit. Nec tam nobis hic orationis splendor & dignitas, quam cognitio rerum spectanda est; quæ quanto sunt ad nostros usus ac mores accommodatiores, tanto minus ignorari à nobis debent. Forsan operæ pretium fuisset, cum tabulis genealogicis, seriem & cognationem tam Imperatorum, quam reliquorum Saxoniæ & Brunsvigæ Ducum, ostendentibus hæc illustrare; tum notas & observationes ad obscuriora & falsitate nonnunquam laborantia loca adjicere: nisi jam de novo edita nuper conspexissem varios eo pertinentes commentarios, à Clarissimis & omni laude majoribus Viris *Reinero Reineccio* atque *Henrico Meibomio* confectos, ex quibus quæ hic desunt copiose & abundanter possunt suppleri. Vnde Te, *Lector benevole*, ne pluribus Tibi sim molestus, eo, si lubet, remitto, meque ut favori ac benevolentiæ Tuæ, sic Te Dei tutelæ ac patrocinio, quam maxime commendo. Dabam *Scheningæ* xxv. die Julii CIↃ IↃ C LXI.

FINIS.